

I O A N N I S M E V R S I

H I S T O R I Æ

D A N I C Æ

L I B R I III.

In quibus res commemorantur gestæ  
à CHRISTIANO I; ac IOANNE, ejus filio:  
& nepote, CHRISTIANO II.



A M S T E L O D A M I,

Apud GVILIELMVM & IOANNEM BLAEV,

MDCCXXXVIII.

1012 М. 1012

ИСТОРИЯ

С. 1

111

111

111

111



Serenissimo, ac Potentissimo,

P R I N C I P I;

C H R I S T I A N O I V,

D A N I Æ, N O R V E G I Æ, G O T H O-

R V M, E T V A N D A L O R V M,

R E G I:

D V C I S L E S V I C I, H O L S A T I Æ,

S T O R M A R I Æ, E T D I T H M A R S I Æ:

C O M I T I O L D E N B U R G I, A C D E L M E N H O R S T I; &c.

Regi, & domino, clementissimo.



REGVM sortem reputanti, Rex Serenissime, illud verum apparebit, quod à Tito Imperatore olim conjuratis dictum: *Principatus fato dari*. Ne exempla mihi petam ex Historiâ, sacrâ pariter ac profanâ, quæ permulta illic obvia, ex his tribus, quos humillimè Majestati tuæ offero, duo abundè fidem facient. Ecce enim, mortuo Christophoro Bavaro, cùm Adolpho Slesvicensi, regis Valdemari III pronepoti, regnum proceres deferrent, studium præ se ferentes in profapiam illam regiam, Deus Christianum ostendit, Diderici Oldenburgici filiorum natu maximum, itidem à matre Heduige, Adolphi sorore, genus regium contingentem, & hunc folio imposuit: nempe ut virtutem ejus, quam legatis etiam pater commendabat, muneraret. Ille verò, sicut regna, quibus artibus parantur, iis optimè asseruntur, quod à Deo ob virtutem accepisset, per eandem cum ingenti laude suâ diu habitum, mox decedens, filio Ioanni tradidit: isque rursus, in vestigiis patris hærens, Christiano, item filio, ejus nominis secundo. Verùm hic, neglecto Deo, per quem reges omnes regnant, cùm deflecteret à virtute, illo animum, & consilia, perturbante, regno temerè ipse excedens, nec redire in id potens, didicit experiendo; regem nullum adeò potentem esse, quin iratus illi Deus, quando ita visum fuerit, sceptrum frangat. Itaque ab isto solo, rege regum, dominoque dominantium, regna universa pendent. Ille ea dat, & adimit; ineffabili consilio, & arcanâ providentiâ: quam humana ratio nulla comprehendere, aut investigare valet. Nec dat tantùm, eripitque; verùm etiam nec deponere permittit, semel data. Sic Augusto, bis remp. reddere animum inducenti, quia monarchiam eam diuturnam esse vel-

A a a 2

let,



let, cogitationem eripuit, ac, quod posse ei dederat, non concessit uti faceret; & invito conservavit. Alios autem sic tuetur, ut eripere nemo unquam externus possit: quod Majestas quoque tua nuper admodum est experta. Nam, cum hostis potentissimus extorquere conaretur, jam redactâ in potestatem Cimbriâ, Holsatiâque penè omni; exiguo freto interposito, velut obice objecto, regno reliquo prohibitum, stetit Deus, vetuitque ultra progredi. Nec hoc solum; verùm & coëgit reddere, quæ biennium tenuisset: etiam pacem ultrò offerre, adeò certè gloriosam, quàm id bellum grave fuerat. Nempe Majestatis tuæ pietati id acceptum referendum; quæ ut rara est in regibus, ita in Majestate tuâ sic excellit, ut Davidem nostro seculo repræsentes. Atque ea Majestatem tuam movit, ut Germaniæ libertatem, ac religionem in eâ, quâ nil piis viris prius, illâ opem implorante, defendendam existimares. Ac successus quanquam animo non responderit, deserentibus fœderatis, ac prodentibus etiam tuis, maximè in pugnâ Lutherensi, ac Bremensi episcopatu, dum Germaniæ peccata, Daniæque, castigare Deus cupit; tamen pietatem eximiam tota adeò posteritas, quæ sine odio gratiaque judicabit, ex conatu tam insigni metietur: sicut animi illam invictam magnitudinem præsens ævum, & imprimis ipse hostis, admiratur, prædicatque. Habes verò, Rex Serenissime, quâ belli casum leviùs feras, bonam omninò conscientiam; tum exempla Principum quoque aliorum perillustrium, qui, eodem planè modo magnum aliquid agentes, votum non obtinuerunt. Ita enim comparatum est; ut divina providentia, etsi interdum bonæ causæ, quam odisse nunquam potest, minus æqua videatur, eam tamen, propter hominum peccata, non deserere quidem velit, sed differre: atque ita evenire est necesse, ut consilia humana, quamvis recta, malè cadant. Quod quandoquidem ita habeat, nulli tamen unquam regum ideò PIETAS deserenda: quæ, ut habet Majestatis tuæ symbolum, illud longè augustissimum, ac dignissimum rege verè Christiano, una maximè REGNA FIRMAT. Testimonium unum, atque alterum, dabo, omni exceptione majus. Ob hanc David vir secundum Dei cor pronuntiatur, minimusque natu fratrum rex eligitur; & invito quamvis Saule, plurimumque obnitente, confirmatur: atque regnum annos quadraginta tenet. Ejus filium Salomonem cum offensus, quòd à pietate ipse defecisset, folio Deus deturbare statuisset, in Davidis patris gratiam vivo parcens, pœnam distulit in filium: & huic etiam unam tribum de duodecim reliquit, idque ipsum item in Davidis gratiam. Audiant ergo reges omnes, principesque; & à Majestate tuâ istud discant, qui ignorant, REGNA FIRMARI PIETATE. Neque ea tantum est in Majestate tuâ planè singularis, sed justitia, caritasque in subjectos, pari passu comitantur. Et ut illa Deo te, Rex Serenissime, gratum facit, ita istæ populo tuo. Cujus sic vicissim affectum universi obstrictum tenes, ut in sinum uniuscujusque etiam reclinare caput liceat, ac securè somnum capere.

pere. Quod profectò quotusquisque regum unquam ausus fuit ? O felices Majestatis tuæ subditos, quibus à tam pio rege, populique sui amante, nunquam malè esse poterit ! ô beatum regnum tuum, quod ingenti sine dubio gloriâ Deus coronabit ; & , divinâ benedictione suâ cumulatam, tandem quoque in filium Christianum transferet : cui olim, Rex Serenissime, vitæ plenus, atque satur, lampadem regnandi trades. Ita vovent Majestatis tuæ subditi : & in illis etiam ego. Quem Historiæ regni tui conscribendæ cum præficere clementissimè sis dignatus, ut hoc meæ operæ specimen clementissimè item excipias, admodum demisso animo Majestatem tuam rogo. Facies id, Rex Serenissime, regum maximorum exemplo : qui ut viros eruditos in honore habuerunt, sic ingeniorum quoque monumenta, sibi oblata, blandâ fronte acceperunt. Et profectò, quantum studiis tua Majestas pretium ponat, satis clarè in hoc ostendit ; quod ut ipsa egregiè Latinis Literis est imbuta, ita principem Serenissimum, Christianum, successorem designatum, atque duces illustrissimos, Fridericum, & Vlricum, filios suos, iisdem imbui summo studio curaverit. Nec contenta eâ laude, ut nobilitas quoque regni adolescens itidem instrueretur, Academiam hanc Soranam erigendam existimavit ; ut deberet Christiano Quarto Dania, quantum antea Primo debuit, qui instituit Hafniensem : quam & ipsam maximè Majestas tua exornatam plurimis quoque beneficiis obligavit. Affirmo, Rex Serenissime, unum istud non minorem Majestati tuæ gloriam apud exterarum nationes & in præsens peperisse, & deinceps pariturum, quàm præclarè belli gesta : immo ista per hoc ipsum famam suam habitura. Etenim sic constitutum est, ut cognitio nulla rerum, quamvis præclarissimarum, aut memoria, apud posteros sit futura, nisi Literarum eæ monumentis consecrentur. Illud Archelaus scivit, rex Macedonum ; & ut scire, atque dignitatem quoque Literarum æstimare, se ostenderet, Iovi Musas exæquavit ; & commune ipsi illisque festum instituit : quod per novem totos dies celebratum, de earum singularum nomine in dies singulos diceretur. Nempe sic existimabat rex egregius ; regna quidem summi Dei, quem credebat Iovem esse, beneficio, à majoribus obvenire, verùm morte ferè obscurâ terminari : at virtutum gloriam tum demum sempiternam esse, cum victuris eam scriptis viri docti ab oblivione vindicant : Etenim quis nunc Achillem, Alexandrum, licet cognomento Magnum, Iulium Cæsarem, aut heroas plures alios, fortitudine, ac gestarum rerum laude, excellentes, unquã natos esse sciret, ni memoriam eorum Literæ ad posteritatem transmisissent ? Quantum regum, etiam sua quondam ætate maximorum, pariter cum rusticis ignobilissimis ignoratur ? quorum sceptrum & hâc in parte mors ligonibus verè æquasse dici potest. Apud Romanos Fulvius Nobilior, allata Ambraciâ Musarum signa Herculi, communi æde constitutâ, dedicavit : eâ re testatum cupiens, hunc, & illas, mutuâ omnino operâ indigere : & , ut Herculis virtutem illarum ore prædi-

prædicandam, sic earum dignitatem illi defendendam esse. Ac, ne vetera tantum dicam, quæ proferre multa possem, avorum memoriâ, Galliarum rex Franciscus I celebratur: & inter laudes ejus plurimas illa sibi primas vindicat, quod in Literas, & earum studium præ se ferentes, maxime propenderet. Convocavit Professores, qui Lutetiæ, in Collegio Cameracensi, omnis generis scientias juventutem edocerent. Bibliothecam quoque struxit luculentam; missis per Italiam, Græciam, Asiamque, qui impensâ longè maximâ libros quosque, aliàs incomparabiles, undique quærerent, describerentque, & in Galliam importarent. Insuper, quia sine typis, planè uti sine libris, Literæ subsistere nequeunt, etiam Typographiam, toto orbe adeò celebratam, instituit: & Robertum Stephanum illi præposuit. Eoque factò, industriâ hujus, majus multo ad ipsum decus, quàm ex tot præclarè bello, ac pace, gestis, redundavit: sicut judicat & vir maximus, Iacobus Thuanus, Operis nunquam sat laudati lib. XXIII. Ac profectò istis rebus id omninò est adeptus, ut, cum principes ferè alii titulis ambitiosis, aliunde conquistis, vanam gloriam sectarentur; ipse, veram solidamque consequutus, PARENS LITTERARVM dici meruisse censeretur. Hujus hæres, quanquam aliquo intervallo, Henricus IV, jure Magnus cognomento appellatus, cujus vim invictam animi, & peritiam rei bellicæ, Majestas tua repræsentat, cum Perronius Cardinalis, ut narrantem ipsum audivi, Lutetiæ Parisiorum ante annos duos & viginti agens, admoneret, eum hoc solo à Francisco I vinci, quod non Literas, quarum ille summum sese Mæcenatem præbuisset, promoveret; ut impleret tandem gloriam, quam & imperfectam esse agnoscebat, & ingenuè fatebatur, animum quoque huc advertit: & in Academiâ Parisiensi, quasi novam Academiam, regium Collegium ædificare mox constituit; in quo viri, famâ clari, undecunque stipendiis amplissimis evocati, juventutem erudirent. Sed propositum tam præclarum execrandus parricida interceptit. Tu verò, Rex Serenissime, qui in aliis non injuria comparari ipsi potes, hæc in parte superas felicitate: qui absolveris, quod huic cogitare potius, quàm perficere, datum fuit. Vnum restat, quod demisso, quantum possum, animo precor; ut Majestas tua Soram, adeò à se illustratam, meque in eâ, cui, è patria evocato, aliquem illic inter Professores locum clementissimè esse voluit, porrò regiâ clementiâ complectatur. In hoc desino; & Deum Opt. Max. veneror, uti Majestatem tuam diutissimè incolumem in verâ pietate fervet: ad nominis sui sanctissimi gloriam, & regni tui incrementum. Soræ, ad diem VII Augusti, CIO IOC XXX.

MAJESTATI TVÆ

humillimè subditus

IOANNES MEURSIUS.

## Qui complectitur regnum CHRISTIANI I.



**H**ISTORIAM Daniæ scribere, consilium cepi; sine gratiâ, odioque: quorum causas, homo Batavus, nulli caritate obnoxius, aut offensâ inimicus, procul habeo. Principium verò, à Christiano I erit; qui regnorum plurimum sceptrum in familiam Oldenburgicam primus intulit: & virtute suâ effecit, ut proceres Danici, quibus nil virtute prius, eam in ipso amplectentes, regnum, quanquam electione semper solitum conferri, quasi hæreditarium facerent. Quippe homines animo planè generoso, quique regibus ipsi suis, quibus regna tribuissent, nil debere cupiebant, sic omnino existimabant: non se gratiam meliorem reddere benè meritis posse, quam si filios eorum, quos, præter paterna merita, virtus quoque, regibus digna, commendabat, ad fastigium idem eveherent. Quâ re factum, ut plus minus centum octoginta annis familia una Daniæ omnem, & conjunctas regiones, suâ in potestate haberit; tantâ quidem moderatione animi, ut res duas, vix conjungi posse creditas, libertatem, ac principatum, conjunxisse cum ingenti suâ gloriâ visa fuerit: nisi quatenus nebulam quandam intersparsit solus Christianus alter, primi, à quo mihi initium, ex Ioanne filio nepos. Ille enim, nec fortunæ, neque animi sui potens, cum, virtutem insuper habens, quæ potissimum regum omnium firmamentum est, potestate abuteretur, regno excidit. Sed de eo proprius dicendi locus sese dabit, cum ad istud tempus venero: nunc ad Christianum I nostra se oratio vertet.

Mortuo Christophoro III, in Elsingburgensi arce, anno dno cccc XLVIII, mox

tumultuari Sueci. Siquidem illi, qui Christophori mandato Ianicopiæ convenerant, cum de morte ejus rumor increbesceret, perturbati, & consiliorum incerti, comitia Stocholmum transferunt; illic die præstituto adfuturi, & suffragia de constituendo sibi novo rege collaturi. Prius tamen, quam discederent Ianicopiâ, Benedictum, & Nicolaum, Ionæ FF., dum id tempus expectarent, regnum gubernare jubent: ac Ioannem Salistæum, Benedicti ejus F. in defuncti pridem Nicolai locum, summum præfulem constituunt. Isque statim ipsam arcem Stocholmensis, regum sedem, & munitiones quasque validissimas regni, invadit. Ad hæc Sueci, Carolo Canuti F. qui Finlandiam tunc tenebat, summæ ambitionis homine, concitante, quæ regina Margareta de regnorum unione statuisset, abolere moluntur. quæ ut Dani accepere, magis serio de creando novo rege in senatu consultatum est. Etenim, nec liberi ulli à Christophoro relictis; nec Dorotheæ, ejus viduæ, Sueciâ tumultuante, tutò regnum ex decreto tradi posse videbatur. Erat quidam, vir equestri dignitate, opibusque inter Danos, & auctoritate, præstans: is & nuptias Dorotheæ, & per eas etiam regnum, appetebat. Verum, quia exemplum hætenus nullum erat, eligendi ex nobilitate regis; & Dorothea, generosi animi foemina, nuptias planè recusaret, aut è principum sanguine virum dari sibi postularet: ac nuptiam se promitteret, cui regnum à senatu datum foret, frustra fuit. Itaque, Suecis jam secessionis suæ manifestis, cum nec spei quicquam esset de concordia faciendâ, senatus è re publicâ censuit, regem externum ad regnorum Daniæ Norvegiæque gubernacula advocare; habitoque mox concilio, in Adolphum, ducem

cro cccc XLVIII.

Slesvicensem, inclinatus: qui, accepto à Christophoro hoc ducatu, regno jam obnoxius esset. Verum ille, impar sibi ipse visus, & sub Margaretâ pariter, atque Erico, bello diuturno fractus, raro principum exemplo, honorem oblatum cum modestè recusaret, ut gratificari tamen Danis se paratû ostenderet, Christianum his commendat, Diderici comitis Oldenburgici filium, ac nepotem è sorore Hedwige suum, quem à puero educasset. Hâc de causâ cum legati Didericum adiissent, is respondet: *tres se filios habere, sed ingenio differentes. Vnum enim, alicui pariter, ac luxurie, studiosum; alterum, ad bella iusta, aut iniusta, animo, & manu, promptum: tertium, metiri ratione cuncta, nec quid inconsultò gerere; bella, nisi necessaria; detrectare; pacem ante omnia ferre; liberalitate denique, fortitudine, & clementiâ, nemini secundum esse. Hec senatui referrent; se, quem ipse prætulisset, mox missurum.* Quæ legati cum reversi nuntiaissent, Christianum, cuius hæc virtutes erant, adeò à Diderico ipsis patre prædicatæ, postulare visum fuit. Nam, dum hæc à Danis fiunt, Sueci, qui defectionem instituerant, ac, præfectis jam duobus constitutis, à decreto Margaretæ sese palàm segregaverant, ad comitia, quæ Stocholmi indicta erant mense Majo, perfrequentes convenere. Inter illos Carolus Canuti F. etiam fuit, regno inhians, militumque, ac clientum, magno numero stipatus. Atque, cum hospitium gubernatoris sibi in arce, apud novum archiepiscopum, Salistæum, occupasset; omnia urbis ædificia, magis ampla, & munita, invadebat: specie quidem, ut familiam in his suam collocaret; sed reverâ, uti adversantes sibi in petitione regni, si res arma fortè posceret, ex iisdem oppugnaret. In conventu, dum confilia agitantur, dissedere; parsque sic existimabant, *neque utile, nec honestum, in præsens posterumve esse, ut electio novi regis eo tempore, sine ullo procerum Danie, ac Norvegie, consensu, haberetur. Quin hanc differendam esse, dum regnorum trium proceres, juxta fœdus, sub reginâ Margaretâ constitutum, convenirent, idque omnino faciendum; cum ut istâ ratione publicæ tranquillitati, tum ut etiam conscientie, quam obstrinxerant, consulatur. Etenim jurasse omnes, uti, decedente rege trium horum borealium re-*

*gnorum, mox Halmstadium eorundem quoque proceres, ad creandum successorem, convenirent: & hoc conscientie vinculum non tam temerè negligendum sibi esse. Si quis inhonestè agat, eum fame apud homines sua detrimentum ferre: at perjurii, certò Deum ultorem fore. Quod si tamen contra fidem, & jusjurandum, seorsim: sibi regem constituere velint, saltem ne tam calidè agant: siquidem in re tam gravi, in quâ subditorum salus, aut perniciës, versaretur, nil precipitandum esse. Itaque sedulò providerent, ne quid imprudenter statuunt, cuius postea partim ipsos, tum indigenas regni omnes, penitere semper possit.* Hanc sententiam tuebantur, Benedictus, unus è gubernatoribus, & Ioannes Salistæus, ejus filius, archiepiscopus Vpsaliensis designatus, & episcopus Strengefius: alique item plures, viri cum auctoritate, tum prudentiâ excellentes. Verum contra vehementer contendebant, Carolus Canuti F. & Ericus, alter è gubernatoribus. Isque primò invehi in Salistæum; *quod negotium, toti Suecie salutare, impedire conaretur: nam electionem regis, quò celerius peragatur, hoc utilitatis amplius universis allaturam. Periculum in morâ esse; & paratis nocuisse, quod differrent: nec deinceps alium conventum ullum expectari oportere.* Ita Danos, cum Ericus Pomeranus, regno profugus, in Gothlandiam se reciperet, in decretum hoc peccasse: & Christophorum, nec comitiis indictis, nec consensu Suecie procerum expectato, è Bavariâ advocasse. Et hæc quidem cum contentione tantâ animorum agitata, ut se partes in apertum sæpe campum, ad rem pugnâ dirimendam, provocarēt. Tandem, cum hi prævalerent, qui creari novum regem, neque moram interponi, cupiebant: novo exemplo constituti Quatuorviri, duo episcopi, totidemque è proceribus, quibus cura, & potestas, novi regis eligendi demandata. Ac, cum illi tres legissent, atque inter istos Carolum, tertio loco; is, ut erat maximâ cupiditate regni flagrans, clam effecit, ut suffragia, & cum iis regnum quoque, interverteret: Salistæo, qui habendam patris sui Benedicti rationem hîc fuisse ante cæteros censebat, indignante, & Vpsaliam abeunte, neque regem salutare cupiente. Quanquam tamen, ut collegii sui sodalibus, valdè illud postulantibus, morem gereret, & Stocholmum

MOX



mox redierit, & in verba item ejus jusjurandum exhibuerit: et si presso potius in tempus odio, quàm deposito. Quæ Stocholmi postquam gesta, Vpsaliam profectus Carolus, mense Junio extremo ejusdem anni, ad Moraften, ubi Suecis reges suos olim legere usitatum, rex Suecorum, Gothorumque, salutatur: Tulioque infestante ineunte, Vpsaliæ à Salistæo archiepiscopo coronatur. inde, Stocholmum regressus, milites bis mille legit; ac his duces, Magnum Grenum, ac Birgerum Trololum, imponit: simul mandat, ut Ericum, pridem regem, in Gothiâ insulâ commorantem, aggrediantur. Iam Ericus nonum illic annum agebat; ex quo Daniâ excerserat: quin & multa inde damna Suecis dederat. Ideoque jubet Carolus, *si succederet conatus, in id sedulo incumbere, uti arma, & thesaurum omnem regium, quem is secum exportasse credebatur, recuperarent: neque pacem, aut inducias ullas facerent, nisi se, & sua omnia, sine exceptione dederet.* Summâ cum alacritate expeditio hæc suscipitur; atque lætabantur Sueci, tandem advenisse diem, quo suorum tot injurias, ab Erico rege illatas, spoliaque, ultum irent. Itaque, conscensis navibus, cum in portum Flenavicum appulissent, ocius in terram exscendunt: & objectos ab Erico, qui exscensu prohiberent, levi pugna in fugam agunt. Inde longius progressi, profligatis, quotquot arma contra ferrent, demum ad Visburgum urbem castra ponunt, eamque obsidione cingunt. Inter ista, postquam accepissent Dani, quæ in Gothiâ gererentur, Carolo legatos mittunt, in Olandiâ tunc agenti; quo auxilia, si res posceret, suis promptiora essent. Postulatum à legatis, *uti copias revocaret, neque porro Gothiam infestare vellet. Quippe eam, à rege Valdemaro III bello victam, ac redemptam à Margaretâ, postquam illam rex Albertus ordinis Teutonici militibus oppignorasset, Danie, non Suecie, juri subjacere. Itaque, si postulata recusaret, neque exercitum deduceret, Christianum ad injuriam propulsandam, armis experiri certum.* Quibus Carolus respondere, *Gothiam, de quâ contendebant, Suecicæ ditionis esse. Itaque religione juramenti, pridem regno Suecie dati, se teneri, si quæ interversa essent, aut erepta, nec restitui aliter possent, ea armis ut repeteret.*

*Quâ de causâ ita nuntiarent suis, se exercitum revocare neque posse, neque velle, antequam Gothiam, quam ad Sueciam pertinere, & ademptam ei esse, persuasissimum haberet, recepisset.* Quo responso, placuit proceribus Daniæ, Christianum, paullo ante regem electum, advocare. Isque postquam advenisset, iv Kalend. Octobris, ante Lundiam, in Trollebarolbio colle, prisco electionis loco, frequentissimo conventu, accepto ab omnibus juramento, & vexillo item regni ab Ivone archiepiscopo, rex à cunctis Daniæ, Norvegiæque, salutatur. Dum hæc fiunt, Sueci oppidum Visburgum, item arcem, arte, & naturâ loci, permunitam, obsidere non desistunt. Rex Ericus, qui exilii voluntarii sedem sibi hanc elegerat, & futurum id præviderat, ut tueri sese posset, commeatum non exiguum, & præsidium, imposuerat. Itaque, quanquam summis viribus oppugnatus, diu impetum sustinuit: verum tamen, cum deficere commeatus tandem inciperet, civibus tueri urbem suam jussis, ipse in arcem, hanc quàm posset diutissime defensurus, se recepit. Eo facto, fatigati tot laboribus, & vigiliis, oppidani, animis quoque fatiscantes, neque ultra hosti pares, cuncta negligentius agere: nec frequentes, uti antè, in munitionibus suis apparere. Quæ ut Sueci advertere, pridie nonas Decembreis, quartâ jam vigiliâ noctis, scalis clanculum admotis, muros scandunt: & in potestatem suam urbem redigunt, antequam id scirent cives, aut ad arma convenirent. Quin & arcem expugnassent, ni Ericus, hostium clamore excitus, illicò jussisset suos arma capere, & pro vallo excubare. Itaque illi, capto oppido contenti, arce adeò munitâ abstinere. Rex, cum dies illuxisset, urbem in hostis potestate esse videns; neque sibi, ad ferendam obsidionem, commeatus sat restare; convocatis statim suis, quid deinceps faciendum quisque putet, percunctatur. Ac, collatis mox consiliis, ipse statuens, quod periculo tam præsentis expedire videretur, cum exercitus Suecici duces ad colloquium evocasset, in hunc modum verba facit. *Non exiguam se debere Danis gratiam; qui, cum regnum, suo potius consilio, quàm illorum ullâ injuriâ, reliquisset; & quietis sue causâ, post labores tot annorum, in hanc insulam secessisset.*

CIO CCC XLVIII. secessisset, nunquam bellum intulissent, neve inde ejicere conati essent, contra, de Suecorum in se pervicaciâ, pariter atque levitate, non immerito queri posse; qui in ipsum, modò Engelberto duce, modò aliis concitantibus, toties insurrexissent: idque nulla juramenti, quod dedissent, ratione. Denique, nunc item Carolo, in opprobrium ingens Suecia, violato juramento, regni decus affectanti, adherentes, quietem suam, medio degentis mari, procul regno, perturbare voluissent. Multò melius, & honestius illis fore, si quietem cupienti regi suo, cui fidem, & obsequium, olim omnes obstrinxissent, pacem darent: neque insulam tam exiguam, quam ad vitam ex dignitate transigendam elegisset, manu armata ereptum irent. Cumque responderent Sueci, non misericordiam ullam, aut effugium, dari posse, nisi se, & sua omnia, statim dederet: blandiore oratione ita eos delinivit, ut inducias concederent. Per quas, undique comportato commeatu, ita arcem communivit, ut obsidionem inde, quamvis longam, facile sustinere posset: Magno Greno, uno è Suecorum ducibus, sortem regis miserante, & ad omnia connivente. Cumque finem jam induciæ penè habituræ essent, pacem ipsi conditione æquiore obtulerunt. Nempe, ut excederet arce, seque, cum thesauro suo, aliisque rebus omnibus, ac familia, in quemcunque vellet locum, transportaret. Quippe Carolus, postquam suos oppidum cepisse accepit, crebris literis imperaverat, ut de arce cum Erico qualibet conditione paciscerentur. Etenim sic existimabat; hac recepta, gloriam insulae regno Sueciae restituta suam fore. Sed Ericus, qui jam arcem commeatu copioso instruxisset, ideoque etiam animum confirmasset, insuper habitis, quæ offerrent, clam à rege Christiano auxilium petit: quod si mittat, multò se libentius Danis, ad quos insula ipso jure pertineret, arcem dediturum esse. Nullo modo in Suecos animum inclinare; qui, cum à communi fœdere, contra jusjurandum suum, descivissent, etiam sibi, curis ac laboribus fracto, arma infesta intulissent. Aliæ prætereà causæ, cur Ericus arcem tradere Danis mallet, ferebantur. Quidam, Caroli arrogantiam, odiumque in Ericum, memorabant. Quippe ducibus cum suis imperasse, uti, arce insulaque expugnatis, diligenter providerent, ne Ericus quoquam evaderet: quin captivum, cum thesauro universo, ad se ducerent. Insuper, in Bornholmio arce, in Oelandia, generum suum Ericum, quod favere regi Erico videretur, comprehendi, & custodia detineri, præcepisse. Denique ipsius quoque odium Erici in Carolum; qui rebellionem variè, cum sub eo, tum Christophoro successore, & nunc etiam Christiano, concitasset. Christianus, cognito Erici studio, non id negligendum ratus, neve ipsum, adèd graviter laborantem, deferendum; expeditâ statim classe, & instructâ, Olaum Eschilli, equitem auratum, magnæ tunc auctoritatis, ducem addit: cum mandato, ut in Gothiam eam duceret; & Erico illic regi, arctè admodum obfesso, opem contra Suecos ferret: tum ab eo arcem acciperet, ac præsidio communiret: ipsum verò, cum familia, ac thesauro, sarcinisque quibuscunque, vel in Daniam, vel in suam Pomeraniam, si id mallet, salvum abduceret. Atque is, ut jussus erat, anno proximo, circa Pascha oram solvens, cum ad insulam appulisset, evocato in navem suam Magno Greno, Suecici exercitus duce, ac sermone perbenignè aliquamdiu collato, mox ad portum classem applicat, & in arcem inde ascendit. Quam Ericus postquam ei tradidisset, is acceptam commeatu, ac præsidio, communit, classem repetit, & abductum inde Ericum Burundiam vehit. Vbi paullùm quiescentem proceres Daniæ quidam adeunt, ac demissis verbis orant, ut redire illuc velit; Falstriaque, insulam multò fertilissimam; silvis, agris, pabulo, pecore excellentem; ac ad vitam, uti rege dignum erat, transigendam sufficientem, aliaque multa offerunt. Et acquievissè eum in principio, sunt qui tradant; sed mutasse mox sententiam, atque parvo cum suorum comitatu, sive, uti alii volunt, Danis ipsum honorificè deducuntibus, Rugenwaldiam Pomeraniæ concessisse: ac, quod vitæ reliquum erat, in tranquillitate summâ, nullâ unquam cuiquam lite de regnorum jure motâ, exegisse. Et est certè vero simile, animi generosi principem, abdicato semel regno, noluisse huc redire; ut, contentus parvâ quadam ejus insulâ, quanquam bonâ, ac fœcundâ, prius universi dominus, lege alienâ viveret, ubi suâ consuevisset: ideoque terram patriam, quæ, quantumvis inamæna, sterilisque, ferè gratior esse solet, ad privatam illic vitam sine curis exigendam, prætulisse. Postquam verò, abducto è Gothiâ Erico,

co, Dani acceptam ab illo arcem muniif-  
 sent, iterum eam arctè Sueci obsedere :  
 frustra Carolum admonente Christiano,  
 ut à sui juris arce vim, & arma, abstineret.  
 Dani, qui præsidio erant, cum in mediam  
 usque æstatem tenuissent, ac deficere  
 commeatus jam inciperet, nuntiant regi,  
*in quo rerum statu essent; si maturè subveniret,*  
*tolerari obsidionem aliquandiu ultra posse: sin*  
*diutius cunctaretur, in discrimen omnes sum-*  
*mmum adductum iri; & evadere minimè posse,*  
*quin se, atque arcem, dedant.* Indignatus Chri-  
 stianus, armis coercendum statuit, cui nul-  
 là ratione persuadere potuisset, ut depo-  
 nere arma vellet. Itaque, conscripto exer-  
 citu, quem ad hostem debellandum satis  
 esse existimaret, cum ducentis navibus  
 bellicis pariter atque onerariis, Gothiam  
 petit. Adducebat veteranum regni mili-  
 tem, & Holfaticæ juventutis etiam florem;  
 cum Adolpho, duce Slesvicensi, avunculo.  
 Cum appropinquaret insulæ, Olaum, E-  
 schilli F. quo in liberando Erico, & acci-  
 piendâ arce, uti dixi, usus fuerat, ad Sue-  
 corum duces mittit; exploratum, *an ad se*  
*transire vellent: sin id obtinere posset, saltem*  
*insula decederent, sine injuria incolarum.* Isque,  
 sicut jussus erat, mox in portum Vester-  
 garnium navem appellit; ac, vocatis ad se  
 ducibus, & in istis Magno Greno, quæ  
 mandata à rege, exponit. Illi, postquam in-  
 telligerent, advenisse cum armatâ manu  
 regem, inducias sibi in xxiv Junii, dari  
 petunt; hæc conditione quidem, *uti Sueci*  
*urbem, & insulam, Dani arcem, ut possidebant,*  
*sic intereâ possiderent: tum utrinque dandos ju-*  
*dicis, qui de jure partium pronunciarent. Id si*  
*ratum ipsi vellent, se habere: sin abnuerent, a-*  
*lias conditiones, quas vel ferrent, vel acciperent,*  
*nullas esse.* Irritatus hoc responso Christia-  
 nus, ferro experiri statuit; itaque arma ex-  
 pedire, & ad pugnam se parare suos jubet.  
 Tum, ad motis propius ad arcem navi-  
 bus, copias in terram exponit: & in ho-  
 stem, qui subjectam arci urbem occupa-  
 verat, inde ducit. Diu utrinque acriter  
 pugnatum fuit; donec tandem Christia-  
 nus ignem injicere in urbem jubet. Vnde,  
 cum hæc passim arderet, consternati ani-  
 mis Sueci, stationibus discedentes, in mu-  
 nitiora quæque ædificia, quæ permulta il-  
 lic erant, solido extracta lapide, cum fe-

nestris; januisque ex ære factis, se recipi-  
 unt. Inde Dani, muro effosso, nullo prohi-  
 bente, irrumpunt; & in potestatem suam  
 urbem, atque hostem, redigunt: cæsis mil-  
 le octingentis, captis pluribus, & in his non  
 paucis item è nobilitate primâ. Quos be-  
 nignè cum haberet Christianus, & ad fæ-  
 dus Margaretæ reparandum hortaretur;  
 atque illi adjuturos se sponderent, si inco-  
 lumes dimitteret: induciis in Majum anni  
 insequentis constitutis, ut benevolentiam  
 eorum omnium sibi obstringeret, sine pre-  
 tio liberos abire finit. Post quæ, rebus or-  
 dinatis, & præsidio opportunis insulæ locis  
 collocato, Daniam suam victor repetit.  
 Atque hæc gesta mense Julio desinente, &  
 Augusto ineunte. Insecuto inde Octobri,  
 ad xxxviii diem, à Tychone, summo  
 Daniæ antistite, rex sacratu Christianus,  
 & Dorotheam viduam Christophori re-  
 gis, matrimonio sibi jungit; celebratis  
 magno apparatu nuptiis, in conventu le-  
 gatorum principum extraneorum, & Van-  
 dalicarum urbium, procerumque item re-  
 gni, frequentissimo. Quæ dum fiunt, Caro-  
 lus, uti cladem, pridem in Gothiâ acce-  
 ptam, vindicaret, militum paratâ manu, in  
 Norvegiam magnis itineribus tendit: at-  
 que ibi, concitatâ in nobilitatem plebe, id  
 effecit, uti ea, Suecorum exemplo usa,  
 contra priscum regni fædus, quanquam va-  
 lidè obnitente nobilitate, in Nidrosiensi  
 urbe regem ipsum constitueret, fideique  
 jusiurandum exhiberet. Quo peracto, cum  
 Danorum in Sueciam irruptionem perti-  
 mesceret, ordinatis omnibus rebus, ac  
 mandatâ Ivaro Flogæ, & Aflacho Turo-  
 nis F. præfecturâ, quâ celeritate venerat,  
 retrò cedit. Hæc cum essent Christiano  
 nunciata; isque Danis, bello Holfatico  
 sub Erico, ac discordiâ intestinâ sub Chri-  
 stophoro, valdè afflictis, nihil magis pace  
 expedire crederet; & hanc ipsis, in princi-  
 pio regni sui, procuratam planè cuperet:  
 à Carolo per legatos petit, *ut Halmstadii, ad*  
*consilia de constituendâ pace conferenda, fide pu-*  
*blicâ adesse velit. Se paratum, si accedat, & con-*  
*ditiones æquas non recuset, pacis ac concordie*  
*causâ, quidvis facere: nec futurum dubitare,*  
*quæ iniqua nunc putentur, si exactè in conventu*  
*perpendantur, quin utrinque æquiora sint censen-*  
*da. Quod si ipse adesse haud posset, tum è suis*  
 plena

C10-CCCC  
XLIX.

plena potestate instructos ablegaret, quorum fidei, ac prudentia, universam rem committeret. Id si faceret, sese curaturum esse, ne concordia sarcienda defuisse judicari à quoquam possit. Insuper mandatum addit; agerent cum senatoribus, ut ad eam amplectendam Caroli animum conformarent: tum suaderent, ut ad præstitutum tempus aut adesse sine morâ ipse vellet, aut legatos suos mitteret. Quæ cum illi in senatu exposuissent, is respondet; Carolum quidem, quominus adesset ipse, negotiis regni prohiberi: at legatos tamen ad futuros esse. Hæc reversi cum referrent, Christianus mox ad iter se parare; Carolus verò, evocare regni proceres Arbogam: & duodecim ex his legere, qui Halmstadium, ad conventum ibi indictum, se conferrent. Postquam utrinque convenissent, graviter exostulare Christianus; quare Carolus, non necessitate ullâ, sed libidine dominandi, contra fœdus, literasque, omnium ordinum juramento confirmatas, regnum Sueciæ occupasset. eâ re effectum esse, ut deinceps factionum, & bellorum intestinorum, semina sint habituri. Etenim, exemplo isto, unumquemque inter ipsos, ut potentiâ eminuerit, ita, cæteris oppressis, regnum invasurum esse. Præstitisse, si concordia inter tria ista regna sarta tecta, & decretum Margareta, de conjunctione eorum, in quod sese juramento obstrinxissent, inviolatum permanisset. Ita futurum fuisse; uti domi, melius legum majestatem à superbiâ & contemptu transgressorum vindicarent: foris verò, propulsatis hostium armis, aut cohibitis, publicam quietem suam, & existimationem, tuerentur. Insuper injuriâ summâ nuper adeò Norvegiam, quæ hæreditario jure ad coronam regni Daniæ pertineret, occupatam: ut appareat, quando nulla belli causa justa exstet, etiam injustam queri. Quasi verò, qui à Carolo pridem in Sueciâ concitati motus essent, contra procerum voluntatem, regno in potestatem suam, per suorum vim, & fraudem, redigendo, ad movendum bellum aliquod intestinum non sufficerent. Potius cogitandum fuisse, tria hæc regna à reginâ Margareta, summo omnium consensu, non idcirco fœdere tam sancto juncta, uti, dissoluto illo, homo aliquis privatus, avaritiâ, & ambitione, præceps, pro libidine animi sui, hæc disjungeret, ac seorsim sibi quereret: verum ut, defuncto rege, lecti è singulis regnis viri quadraginta, loco ad id designato, convenirent: ac, collatis mox consiliis, unum universis regem, de sententia plurimo-

rum, constituerent: qui & subditos certis legibus gubernaret, & adversus vim externam qualemcunque tutaretur. Itaque hortari ipsos, ut, in medium consulentes, bellum imminens, quæque illud ferè comitari solent, cedes, atque vastitates, pro prudentiâ suâ egregiâ, averruncent. Hæc cum gravi oratione Christianus explicasset, Sueci, jam pertæsi Carolum, qui ad folium vi, & fraude, etiam invitis plurimis, certè non consentientibus, pervenisset; ac sic regnum administraret, publicæ utilitati ut privatam anteferret; potiusque vi imperium stabilire, quàm benevolentiam, vellet: Christiano sic respondent. Pace sibi, & concordia, nihil sanè prius esse; & facturos, ut Norvegiam, nullo jure occupatam, Carolus reddat: tum & Sueciæ regno cedat, modo præfecturam ejus indulgere ipsi velit. Ad quæ rursum Christianus; se, imprimis publicæ tranquillitatis studiosum, ejus causâ quidvis cupere: modo ipsi, quod promitterent, mox in Sueciam reversi, etiam effectum darent. Illi, qui se plenam à Carolo potestatem accepisse reputarent, & hæc Sueciæ expedire existimarent, iterum ea pollicentur, atque addunt; aut se Carolum, ut subscribere hisce abs se actis velit, inducturos: aut in Daniam, ad custodiam, redituros. Sed, ad Carolum reversi, postquam gesta retulissent, ille, in majorem modum irâ incensus, apud omnes clamitare; in negotio regni publico minus bonâ fide actum: & muscipulam sibi positam, ut vel caperetur eâ, vel, quocunque vellent tempore, Sueciâ ejiceretur. Itaque cavendum sibi summo studio, ut insidias, quas parassent, evitaret. Inde, palàm eos taxans, quos Halmstadium ablegaverat, Calmaria conventum indicit; ac, neglectis iis omnibus, cæteros regni senatores, quos addictos sibi sciret, illic convenire jubet. Tum & novo eos juramento obstringit: neq; quicquam, muniendo principatui necessarium, prætermittit. Inde Nicolao Ionæ arcem primò Orebroensem, pauldò ante ipsi traditam, mox Nicopiensem adimit. Quam rem cum & archiepiscopus, & complures optimates regni alii, ægrè ferrent, captâ hinc occasione, ad Christianum transiere. Erant in eorum numero, Magnus Grenus, copiarum contra Ericum pridem ductor; Tycho, episcopus Scarenis; Benedictus Ionæ F. ante coronationem Caroli gubernator regni; Gustavus Olai, Gustavus Laurentii;

rentii; aliique, viri loco, & ordine, summi. Qui deinceps, bello in Carolum concitato, opere clari evasere. Protestati, non se perfidè quicquam egisse; sed, ut causæ nihil erat, cur à sacro-sancto fœdere, quod majores, pro se, posterisque suis, ad regnorum borealium firmamentum, sempiternum voluissent; ita jure longè optimo ab obedientia Caroli omnia ad suam tantum utilitatem referentis, & extorto juramento, recessisse. Christianus, dum responsum super iis, quæ Halmstadii gesta erant, expectaret, Rothnabii, quæ urbs est Scaniæ, aliquamdiu commoratus, postquam nihil adferretur, hinc in Sialandiam redit. Vbi habito Senatu, dum deliberat, quam ratione posset indies crescentem Caroli insolentiam coercere, visum fuit; non aperto bello petere, sed excursionem variâ terras ejus infestare. Itaque anno insequente, a-  
 dultâ hieme, admodum intenso frigore, duce Olao Eschilli, terrâ ac mari copias ingentes mittit; Sueciam, quacunque possent, vastaturas. Quæ, excursionem factâ, cum Stocholmum usque ipsum jam progressæ, prædam ingentem coegissent, Sueci, sumptis properè armis, occurrentes, factò in palantes impetu, postquam eos cecidissent, aut cepissent, mox in reliquum agmen versi, illud fugant. Verùm id, regressum à fugâ, postquam sese collegisset, plurimis incensis pagis, & abductâ inde prædâ non exiguâ, mox in Daniam pedem refert. Dum hæc fiunt, peregrè Vilsnaci agere Christianus, quæ urbs Megapolitana; si-  
 ve voto exsolvendo, quo se ante obstrinxisset; si-ve ut Germaniæ principes, quibus ibi diem dixerat, conveniret: & cum illis contra Carolum fœdus faceret, ut Vandalicas civitates, quarum opem ille literis, ac legatis etiam missis, imploraverat, ne à tergo fortè invaderent, prohiberent. Itaque, dum regno abest Christianus, & constri-  
 ctum magno gelu mare Balticum, Carolus, illatæ sibi pridem cladis ulciscendæ occasionem dari ratus, ocyùs collecto milite, anno c I O c c c c L I I, mense etiam  
 Februario, Scaniam invadit; diripitque, & incendit: omniaque pro libidine suâ agit, nullâ sexus, aut ætatis, ratione. Qui evadere rabiem hostilem poterant, trepidi in rupes sese, & quæ alia inaccessa loca erant, conferebant, ut salutem sic consulere. Nec

direpti pagi tantum & exusti, verùm ipsæ quoque urbes: inter quas tam Helsingburgum, quàm Landscrona, aliæque. Quin metropolin item Scaniæ, Lundiam, eodem impetu aggressus, cum suburbii eedes quasdam incendisset, & in urbem vi erumpere conaretur, à Tychone archiepiscopo, qui ad primam rei famam se præsidio communi-  
 verat, fortiter repulsus fuit. Inde, magnâ clade acceptâ, in Daleboensem agrum castra movet: & suorum strage asper, mercatores, qui tutandi sui causâ huc confugerant, contrucidat. Eo factò, copias suas retrò ducit; tam festinè, ut similior fugienti videretur. inter viam, monasteria duo incendit; &, Vetschæflam arcem aggressus oppugnare, cum clamore horrendo obsessos perterrere conaretur, domina arcis, animi virilis foemina, e vestigio arma capere, & in hostem tela jacere, suos jubet. Qui cum impigrè jussa exsequuti essent, reducere copias obsessorem, & omittere oppugnationem cœptam, coegere. Isque, velut Panico terrore actus, nusquam restans, priùs sibi, quam in fines regni Sueciæ pervenisset, quiescendum non putavit. Et sic finem expeditio illa habuit; ut initio, impetu tam repentino, ac sævitiâ, formidabilis, ita exitu ridicula. Quippe quam retuderit primùm archiepiscopus, inde, cum majore opprobrio, etiam fæmina: iste, vitæ suæ genere, & hæc sexu, planè armorum insolentes. Christianus, postquam nuntium hujus rei accepisset, angiquidem vehementer in suorum subditorum tantâ clade; verùm, peregrè profectus, uti dixi, neque opem laborantibus ipse ferre, neque etiam illi posse, quibus curam regni sui, & tutelam, per absentiam demandaverat: cum, constriçto gelu fretò, Scaniâ prohiberentur. Quam ob rem, ejusdem anni proximè insequutâ æstate magnam classem, sub Olao Eschilli F. & Magno Greno, in Sueciam mittens, hanc Stocholmum, regni caput, mari oppugnare jubet: ipse, terrâ exercitum ducens, & ingressus Visigothiam, mox Ludosiam, non munitam per id tempus, properè fossâ, ac vallo, munit. Vbi dum diutiùs paullò, ad perficiendum opus inchoatum, commoratur, evocatis ad colloquium præfectis, quos vicinis arcibus Carolus imposuerat,

cum his pacem hanc conditione facit; ut, cum Sueciæ bonam partem armis sibi subjecisset, ipsi quoque sese dederent. Quod cum illi se facturos recepissent, quidam etiam sine morâ præstiterunt. Inter ista nil omittit, quod ad Caroli detrimentum pertinere existimaret: missis sæpè, qui infesta excursionem terras ejus, & eorum, qui additi ipsi erant, devastarent. Sueci, adventu hostis territi, undiq; profugientes, se in silvas, quibus tutiores essent, abdidere: unde interdum, postquam per exploratores, de Danorum multitudine cognovissent, in palantes, pabuli, aut prædæ, causâ, erumpentes, non minorem, quam acceperant, cladem illis intulerunt. Qui, edocti malis suis, ut infidias vitarent, in apertum eos campum ad certamen provocabant, acriterq; loco æquo contra ipsos dimicabant: ac postremum debellatis, qui potissimum resistebant, Caroli præfectis, tota ad occidentem Gothia potestati Christiani se submittit, & in ejus verba jurat. Id cum Carolus accepisset, ocyus collectâ manu, partem in Tiwediâ silvâ, per quam transiturus foret Christianus, in insidiis esse jubet: sed, de classe, quæ Stocholmum oppugnare jussa erat, & tunc fortè imminebat, certior factus, pedem ipse retrò ferre, & infidias revocare; ut primariam regni urbem, in quâ ad eò regni summa vertebatur, ante omnia tueretur. Cum ad eam accessisset, latus illud, quod ad mare adjacebat, jam ab hoste oppugnari deprehendit. Itaque, ab alterâ parte intromissus, naves instruit: & imposito illis milite, ad vim repellendam educit. Sed, cum Dani, partim navium magnitudine, partim numero pugnantorum, antecellerent, propè urbem, ut paratum contra impetum hostilem auxilium esset, anchoras jaciens, eminus tormenta belli sine fructu ullo explodit. Cumque illi, pugnae copiam facturi, propius naves admoverent, hærentibus ad urbis suæ muros Suecis, nec movere inde ausis, retrò in apertum mare vela flectunt, obviasque eorum naves deprædantur. Dum hæc ad Stocholmum fiunt, Christianus, occupatâ Visigothiâ, & præfidiis passim positis, Ianicopiam pervenit, inde in Daniam copias suas reducturus. Cumque ad silvam Holvediam, valdè insidiis opportunam, accessisset, cum majore exercitus parte paululum subsistit; & cohortes levis armaturæ aliquot, ac locorum gnaros duces, viam tentaturos mittit. Qui, ut silvam ingressi erant, cum non satis circumspèctè latebras investigarent, periculum aliis prædicturi, ipsi in illud imprudentiâ suâ incidunt. Quippe Ericus Niparius, qui cum rusticorum manu infidebat, impetu in illos facto, amplius trecentos cædit, cæteros capit: & in his nonnullos ex equestri ordine, quos ad Carolum sub custodiâ duci jubet. Ille, quod Erico infidiæ successissent, & in Daniam Christianus recessisset, animosior, mox, profectus ad Vastenium monasterium, evocat Tardonem Bondium; imperatque, ut cum lecto peditatu in Visigothiam contendat, & Ludosiam recuperet, paulò ante à Christiano occupatam, ac munitam. Neque ille segnis imperata facit; scribit militem expeditum, Visigothiam magnis itineribus petit; & ut fallere hostem posset, per silvarum opaca ducit, rupiumque inaccessa. Hinc nec opinantes opprimit, & Ludosiam noctu invadit. Quadraginta è præfidiariis primis, quorum nutu, ac consilio, geri omnia Christianus imperaverat, altum dormientes capit; prædam diripit, quam ingentem comportaverant, & militibus distribuit: denique in verba Caroli cives iterum obstringit. Carolus, ad rei nuntium, Bundii fortunâ usus, mox cum copiis Visigothiam ingressus, arces quasdam limitaneas, à præfectis Christiano pridem traditas, bello repetit: ac recuperatas munit. Quibus cognitis, Christianus, non tam Visigothiam recuperare, quam ad foederis communis observantiam revocare Sueciam totam, animum inducit. Itaque, ut sine bello deinceps Suecos debellaret, solers princeps, famâ potiùs, quàm armis, bellum gerere constituit: subditosque, qui in regni limite essent, accolas, rumore sparso, brevi sese cum exercitu adfuturum, perterrere semper jubet. Ut perpetuâ expectatione belli trepidantes, atque ad tutelam regni usque quaque concurrentes, fatigaret: ac postremum, summâ adeo rerum necessariorum egestate divexatos, tædio præsentis status, ad defectionem impelleret. Erant quippe Christiano milites quidam

quidam veterani, cum in Scaniae confinio, tum in Gothia. Hi, ut iussi, se in Sueciam magno agmine irrupturos minabantur. Idque serio dictum rati, qui tuendo limiti praefecti erant, saepe auxilia ab extremis usque finibus advocabant. Quod cum crebro eveniret, toties, tam longo itinere, & id frustra, ad suppetias evocari, & molestum ipsis erat, & damnosum valde incolis, qui a copiis transeuntibus insolentiam militari vexabantur. Praeter ista, equi Caroli magno numero pabulatum toto regno ducebantur, ab ingenti stabulariorum turba: qui non minus, quidvis postulare ausi, & per vim, si recusarent, extorquentes, tristem rusticorum sortem affligebant. Tum praefecti quoque ipsi, sine ulla justitia, aut aequi, observantiam, miseros exagitabant: & si arma capienda pro tutela regni forent, pedem domo non moventes, prius bonis spoliatos, hosti porro trucidandos objiciebant. Ad haec mala, accedebat rerum omnium summa caritas: & cum ea pestis ingens, quae in homines, pecudesque, pariter desaveiebat. In hunc modum Suecia dum annis aliquot affligitur, quiescente laeta semper pace Daniarum, Bergis in Norvegia tumultus surgit, anno 1000 cccc lvi. Quidam Olaus Nicolai, vir equestri dignitate, novas res moliri visus: & superbia nondum cuiquam usitata, uxor ejus in navigii sui velo regni insignia gerere ausa. Ipse vero, mercatores, eam in urbe mercaturam exercentes, divexare: naves, mercibus onustas, diripi jubere: & ad crimen aliorum, idem exemplo, si non iussu, facientium connivere: mercatores, qui indigna pati sese quererentur, irridere. Quam ob rem, cum, praeter damna, etiam ludibrium ferre se viderent, mox querelam ad regem deferunt. Atque is cum respondisset, nullo modo hominis se insolentiam approbare, sic responsum illi sunt interpretati, tanquam aegre minime laturus foret, si quid forte gravius ei eveniret. Itaque, cum modum ille insolentiae, ac superbiae, nullum poneret; arbitrati mercatores, non se regem offensuros, si, vim toties inferentem, semel tandem ulciscerentur: eum, in urbe tunc agentem, circumfistunt, & injuste erepta sibi reddi postulant, ille, initio nil benignior; sed, ut crescere nu-

merum tumultuantium, & audaciam, animadvertit; nec se amplius parem esse: ut periculum evitaret, in Brigittae monasterium vix evadit. Aderat ipsi episcopus urbis; & placare seditionem cum blanditiis, tum auctoritate, nisus, plane nil proficiebat. Rogabatur, ut abire animum induceret; nec fortunam hominis adeo scelerati suam faceret: cumque, nimis casum amici miseratus, non secederet; speraretque, populum ei propter se parvum esse, injecto in monasterium igne, utrumque exurunt. Interim sub rege Carolo Sueci graviter, uti dictum, vexabantur. Et ingenti cum exercitu insuper eos Christianus invadere, anno 1000 cccc lv, & Elsburgum expugnabat. Inde, anno 1000 cccc lvi, ne in Scania porro irrumperent, arcem Deneholmum munit, & praesidium imponit: ac, congressus aliquoties magna illos clade afficit. Nec multo post, sequente anno, Grenum copias in Oelandiam ducere jubet. Isque gnarus, expedita statim classe, insulam petit: & appellens, insulanis, qui adveniendi sese opponebant, profligatis, ad Bornholmum, unicam eam insulam arcem, castra ponit. Quam continua verberatione postquam adeo graviter concussisset, ut perfractus pluribus in locis murus jam ruinam minaretur, pacem obsessi petiere. Ac concessa illa fuit, eam lege, uti, rebus suis salvis, inde exirent, nec quid amplius efferrent: si quis contra facere ausus, capite lueret. Ita arcem Grenus capit, & thesaurum in eam magnum: quem seposuisse ibi pridem Carolus, ad gerendum contra Christianum bellum, ferebatur. Iam recuperata Oelandia, cum inferioris Sueciae magnam partem Christianus occupasset, proceres regni, animis jam pridem a Carolo alieni, invitante tunc fortuna, mox in illum inclinare. Inter hos Ioannes Salistæus erat, summus toto regno praesul, pariterque ut dignitate ita genere excellens: cui offensae plures causae. Nam, materno ejus avo Nicolao, injuste capto, non contentus tam insigni contumelia, plurimarum quoque arcium, quam tenebat, praefecturam, etiam equitum tribunus, neque regiam dignitatem consecutus, eripuerat: auxeratque contumeliam, rex creatus; & Orebroensem arcem, paulo ante ipsi tra-

ditam, ac Nicopiensem inde, item ademerat. Et, cum pater Benedictus, post Christophori decessum, Ianiciopie regni gubernator lectus, in conventu, quem Stocholmi habitum commemoravi, à regnorum trium foedere, sub reginâ Margaretâ constituto, recedendum non censeret; contra nitens, eligendum esse regem, totis viribus contenderat; & suffragiis plurimorum, vi, aut fraude, occupatis, ipse solum invaserat. Ad hæc Caroli insolentia, potestate pro libidine abutentis, accedebat. Itaque occulta primum odia, mox palam habet: &, consilio cum suis communicato, regno deturbare statuit. Quod dum agit, Christianus classem instruit: &, ductore Magno Greno, in Finlandiam transmittit. Ea cum Viburgum urbem, ejus regionis caput, vento prospero appulisset, miles, postquam exscendisset, sine morâ oppugnatam facile capit. Inde in arcem adjacentem se convertit: ac, dum acrius repugnat, ignem injicit, & exurit. Quæ cum accepisset Carolus, & videret, potiorrem regni partem, in quâ spem potissimum suam, ac fiduciam, collocaverat, Christiani in potestatem pervenisse; seque adeò in periculum amittendi universi adductum esse: proceres Stocholmum evocat. Qui cum illuc convenissent, ipse Nicolai Sturæ nuptias celebrare instituit. Hisque actis, eum accedens archiepiscopus, damnum, quod in mari pridem, prælio cum Danis habito, accepisset, resarciri sibi petit. Quod cum ægrè admodum ferret, iræ præceps, primò, non se obligari ad solvendum, respondere: inde ordinare quosdam è senatu, qui negotium disceptarent. Atque isti, cum, examinatâ causâ, secundum archiepiscopum pronuntiaissent; ille, valde indignatus, palam iudices malæ fidei accusare: nec iudicium dedisse ex æquo, aut bono, sed privato suo affectu. Ita postquam discessissent, mutuâ utrinque offensâ, facile prudentiores prævidebant, brevi fore, ut res illa aliquem tumultum daret. Neque mora; Carolus adeste militem die constituto jubet, in Oelandiam ducturus: quam pro rege Christiano Magnus Grenus obtinebat. Statim etiam archiepiscopus copias parat: ac paratis, aperit, quid agigaret. Caroli præfectum, Haquinum, Suenonis

F. comprehendi, & Salistam, arcem suam, abduci jubet. Inde, majus templum ingressus, collegii sodalibus ad se vocatis, ad altare summum accedit; atque ibi, coram iis, cum sumpsisset vestem sacram, & ornamenta dignitatis, mox, in genua provolutus, preces fundit. Quibus dictis, ponit vestem, arma capit: & edicit, non se antè positurum, quàm antiquum regni statum, quem à Carolo perturbatum omnes scirent, reduxisset. Quin postridie, scripto ad valvas templi affixò, publicè testatum facit; non se tantum fidem in Carolum, & obsequium omne, exuere; verum etiam manifestum deinceps hostem profiteri. Ac prætereà, per libellos criminatus, plebem, quæ mandato ejus arma ceperat, & primarios item quosdam ordinis equestris viros, contra ipsum concitatos, ad se traxit. Quæ Vpsalix cum egisset, properanter Enecopiam, & Arosiam, factò itinere, illic quoque præfectorum, civiumque, animos tentat: qui se, Carolum pertæsi, conjungere. Arcem verò Arosiensem, cum præsidium tueretur, ideoque obsideret, Carolus ex Ostrogothiâ, quo exercitum convenire omnem jusserat, ocyus Nicopiam tendit: atque, capto ibi Erico Absalonis, malæ fidei suspecto, nil cunctatus, copias Strengenesam ducit: hinc Arosiam moturus, præfulemque inopinatò aggressurus. Verum ille, per exploratores certus, ut præverteret, missâ statim obsidione, summâ cum celeritate Carolo obviam proficiscitur; ac, priusquam adventus sui nuntius adferri posset, diluculò eum apud Strengenesam occupat: urbem irrumpit, militesque adhuc dormientes opprimit: Carolus verò, ad tumultum excitatus, suis capere arma jussis, cum occurreret, vulnere accepto, quanquam longè militum numero superaret, fugam capit: ac pugnantem acriter suos, & à fugâ revocantes, turpiter deserit. Quâ re illi animadversâ, seu victoriam desperantes, seu pugnare, rege suo fugiente, non ulterius cupientes, ocyus & ipsi in fugam se conjiciunt: ac Stocholmum, Carolum infecuti, petunt. Archiepiscopus, nil cunctandum arbitratus, ut recenti adhuc clade consternatum porrò etiam percelleret, mota castra properè Stocholmum ducit, &

arctissi-



arctissimè urbem cingit. Carolus, cum nemo obfesso opem ferret, neque civibus item fideret, clam thesauro omni regio apud monachos Franciscanos occultato, suo in navem comportato, nullo quicquam suspicante, nono regni sui anno, sub initium mensis Martii, acerrimo frigore, in Borussiam excedit; & Gedanum, impetratâ fide publicâ, sese recipit: atque ibi per exilii annos septem commoratur. Rex Poloniae Casimirus, cui foederatus erat, arcem dedit, in confinio regni sui, quæ familiaris sustentandæ necessaria exhiberet: & hanc tenuit, donec Sueci revocarent. Stocholmenses, cognito discessu Caroli, urbem dedunt: & mox arcem etiam præfidiarii. Cujus rei postquam fama dimanasset, proceres Sueci, qui in Daniam profugerant, sine morâ in regnum redeunt. illicoque ad Christianum ablegantur oratores, qui & statum ei Sueciæ nuntiarent, & ad regnum capeffendum invitarent. Christianus, vacuo per discessum Caroli regno Sueciæ, non cunctandum sibi ratus, ocyus instructâ classe, multis regni utriusque senatoribus comitatus, sub initium mensis Maji illuc tendit. Cumque in Stocholmi portum appulisset; senatores, qui frequentes huc convenerant, & adventum Christiani expectabant, ubi advenisse eum acceperunt, mittunt, qui adventum primùm gratulentur, inde capita quædam offerant, libertatem, & antiqua privilegia, atque constitutiones regni Sueciæ concernentia: quibus si subscribere vellet, promptos sese, ipsum sibi regem capere. Ille itaque, nil iniquum Suecos petere animadvertens, postquam lectis subscripsisset, solenni pompâ primo in urbem, inde in templum, atque arcem, universis fausta omnia acclamantibus, à senatu est deductus, ubi dum res regni ordinat, variè querebantur Sueci: isti, bonis se à Carolo exutos; isti, injuriâ affectos: omnes vim, superbiamque, accusabant, & ab eo fraude circumventos esse, ut arma contra ipsum caperent; non, ut patriam, quod jactabat, servitute, quæ tunc nulla planè erat, liberaret: sed ut rerum solus aded potiretur. Christianus, universos perbenignè consolatus, bono esse animo jubet: & tutelam pariter

cunctis, ac justitiam, pollicetur. Mox Morasten sese confert; ubi, postquam sese ipse in leges regni sacramento obstrinxisset, rex solenniter à proceribus, qui frequentes illic aderant, salutatur. Hinc Vpsaliam profectus, ad xxiv Junii; à Ioanne Salistæo archiepiscopo coronatur. Hunc in modum Sueciâ recuperatâ, in Norvegiam, ejus quoque regni insignia petiturus, iter capit; ac, Nidrosiam advectus, summâ omnium gratulatione excipitur: & xxix die mensis Julii coronâ quoque ab archiepiscopo insignitur. Postquæ cum in Daniam regressus esset, anno proximè infecuto diem obiit sine hærede Adolphus avunculus, dux Slesvici, comes Holsatiæ, ac Stormariæ. Et cum quidem de ducatu Slesvicensi, quem in feudum ille olim à Christophoro Bavaro acceperat, nullum omninò dubium esset, quin coronæ iterum Danicæ ipso jure jungeretur; de Holsatiæ, ac Stormariæ, comitatu, planè controversum fuit. Nam & feudum Imperii esse; & ad stirpem masculinam, genere proximam, pertinere videbatur. Ac supererat Otho, comes Scouwenburgicus: filiique ejus octo, Adolphus, Ericus, Ernestus, Bernardus, Otho, Henricus, Antonius, Ioannes. Hi defunctum agnatione, quamvis longâ, contingebant: Christianus, ex sorore nepos erat. Anceps diu hinc nobilitas; & in regem multi aded propendebant, defensorem quæritantes: alii rursus, in Othonem Scouwenburgicum inclinabant: ob majorum in eam terram beneficia, & quod è virili stirpe censeretur. Hanc ob causam cum nequicquam aliquoties convenissent, & jus suum rex tue-ri armis velle præ se ferret; tandem, operâ potissimùm Arnoldi, episcopi Lubecensis, cui pro Cæsare conferendi jus competeret, comitatu Christianus rex donatur: Cum Othonem prius comitem, filiosque, quadraginta tribus millibus aureorum persolutis, ut juri suo renunciarent, induxisset. Inde etiam Gerhar- do, ac Mauritio, fratribus suis, de successione illâ pari jure contendentibus, altera quadraginta millia se pollicitus daturum, plenè denique sibi universum acquirit, anno cccc lxx. Cumq; mox solenni ritu omnes ad

obsequii fidem sacramento obligaret; & Hamburgum, Stormariæ urbem antiquissimam, maximamque, advenisset: fidem dare cives non detrectant quidem, sed, *ne jusjurandum ipsi exhibere cogerentur*, deprecantur. Tum ostendunt, *veterem suam, ac majorum, observantiam; non obstringi, nisi solis verbis, solitam: & hanc pluribus privilegiis muneratam*. Orant insuper, *satis sibi esse duceret, quod majoribus suis fuerat*. Itaque motus rex benignus, animique moderati, non iniquâ oratione, acquievit: eâ nihilominus lege, *ut quocumq; demum tempore, sive ipse, sive successores sui, jusjurandum postularent, sine morâ, aut exceptione ullâ, exhiberent*. Inde ad Reinefeldense monasterium, in Holfaltiam, se recepit. Hic dum agit, Lunæburgensis senatus, cum, subductis rationibus, animadverteret, civitatem ære alieno premi; neque ad salinas suas, quibus salus publica ferè niteretur, conservandas, sat ærarium facere posse: ut necessitati suæ subveniret, multa templis, ac cœnobiis, per injuriam ademit. Id episcopi Suerinensis pariter atq; Lubecensis, postquam ægrè ad eò ferrent; &, tutelam cleri sui suscipientes, quererentur, hunc in modum rebus suis multum detrimenti dari, nec proficerent tamen quicquam, deferunt rem ad Pontificem: qui sacrorum ipsis usu, dum ablata restituerent, interdicat. Id cum fieret, magnus illicò tumultus totâ urbe est exortus. In patritios, & senatum, plebs insurgere: ac mutare magistratum, additis viris sexaginta, qui invigilarent pariter, ne res publica aliquid detrimenti caperet. Sed in illos itidem mox concitata, rursus dejicit, & prioribus dignitatem suam reddit. Ad exemplum mox Lubeca, & Hamburgum, vicinæque urbes aliæ, perturbari; & ubique cives à senatu suo, clam, aut palam, dissidere: dum censuræ pontificiæ hi gerendum morem censent, illi negant. Et Ioannes, Episcopus Verdensis, itidem sacris à pontifice prohibitus, quòd clam in Lunæburgenses propenderet, regem Christianum adit; & sollicitat, ut se inter civitatem, & Episcopos nominatos, pro sequestro interponat: ac dissidium, diu sat continuatum, magno partium damno, dirimat. Qui cum mox, responso accepto, rediens per urbem Hamburgum vehere-

tur; pueris eum petulantius luti lapidumque jactu incessantibus, penè etiam de curru, magno ad spectantium risu, deturbantibus: missò nuntio, de illatâ in subjectâ ipsi urbe contumeliâ, regi queritur. Sed, querelam cum is insuper haberet, iræ plenus, illicò armatos mittit: qui colonos Hamburgensium, Albim flumen accolentes, divexarent. Verum anno insequente litem totam rex composuit, in cœnobio Reinefeldio: arbiter sumptus, cum Episcopis, Lubecensi, & Suerinensi. Hinc, promissam ut pecuniam Scouwenburgico, fratribusque, exsolvere posset, tributum indicit Slesvicensibus, & Holfatis. Quâ de causâ cum nonnulli dictarent, colligi hanc summam posse è thesauro regis Caroli; quem is, Sueciâ profugiens, in cœnobio, quod Stocholmi, apud fratres prædicatores occultasse ferebatur: mox in Sueciam trajiciens, quosdam ex his evocatos compellavit. qui cum diu pernegassent, tandem extorsit, ut depositum faterentur, proderentque. Per id tempus, cum in Sueciâ reperiret Marium Fregenum, pontificis Romani legatum, qui, in causam expeditionis Turcicæ promulgatis indulgentiis, pecuniam maximam collegerat; partem ejus dari sibi, cum Schismaticis vicinis pugnaturus, postulavit, & accepit: reliquam, inclusam vasis, Lubecam avehere permisit: ibique postea, cum captivum accepisset, per legatos detineri suos jussit. Qui secutus annus fuit, ejus seculi sexagesimus secundus, litem dedit, inter Gerhardum, & Mauritium, regis fratres; cum uterque comitatum Delmenhorstium sibi afferere conaretur: tanto animorum ardore, ut in bellum res erumperet. Ac Gerhardum, rex fovebat, quamvis postea ingratus. Cumque, rebus gravioribus, & potissimum bello Suecico, impeditus, opem ferre laboranti minimè posset, Gulielmum Brunsvicensis, & Monasteriensis episcopum, ut hinc vicem suam obirent, per legatos imploravit. Pro Mauritio, Bremenses, & Hojani comites erant. Gulielmus, qui gratificari regi cupiebat, cum Gerhardum obsideri Delmenhorsti comperisset, arma in obsessores capit. Qui id gnari, castramovent: & occurrunt, ad Siburgum. Acre diu, variumque, prælium commissum fuit:

ac tan-

ac tandem Victor Guilielmus, comites Hojanos capit, aliamque armatorum item manum. Verum anno insequente, in Verdenfi civitate, lis dirempta: & captivis liberatis, interveniente rege, Delmenhorstum in Mauritium transfertur. Qui mox tamen, vitâ fungens, id Gerhardo fratri tradidit. Dum hæc fiunt, in Megapolin profectus, principes vicinos evocat; qui deinde cum Vilsnaci, claro veteris Marchiæ oppido, convenissent, illuc quoque se recepit. Ac Lubecam cum transiret, atque cives, velut parum confidentes, anxie custodiam adhibuissent, proconsulibus, extra urbem honoris causâ deducentibus, vanum ipsorum metum ridens exprobravit. Quæ hinc acta, clam fuerunt. Vulgò creditum, de Vandalarum urbium magnitudinè, ac potentiâ, quam iniquis ferè oculis principes adspicere soleant, coercendâ agitatum. Verum, fœdus tantum ictum, de jungendis contra eas omnes armis, si cui è fœderatis, ob quamcunque demum causam, ipsæ unquam bellum inferrent. Neque enim animus Christiano erat, vim inferre: sed cavere, ne ad Carolum, quem jam arma, ad recuperandam Sueciam, comparare intellexerat, se adjungerent. Vbi in regnum rediisset, oratores Lubecensium accessere; postulantes, *ut antiqua in regnis ejus privilegia firmarentur. Simul questi, damna multa, & injurias, mercatoribus suis illatas, cum in mari, à piratis; tum in regnis etiam suis, à præfectis. Quibus ille respondere; si quæ, ipso nondum rege, passi forent, horum culpam sibi non imponi posse: de piratis quæ obtenderent, aut præfectis, cum incerti illi rei, nec in potestate essent, temerè crimen memorari, quod nec ipsum quicquam ad se pertineret. Sed deinceps curaturum, ne quid jure queri possint: & eorum privilegia facta tecta esse velle.* Sic dimissi, recessere. Inter hæc rebellionem Sueci inceptant; indignantibus proceribus, regni sui præfecturas, sibi jure committendas, tanquam minus certâ in regem fide essent, Danis dari: vulgò verò, *absentiam regis accusante; per quam nec jus ferè unquam diceretur, & præfecti pro libidine agerent, ferrentque, omnia. Tum, abduci extra regnum opes publicas, atque iis pro arbitrio Danos uti.* Eadem querela fuerat item de Christophoro Bavaro;

& hæc Suecis prima desciscendi causa. CIO CCCC LXIII. Ac profectò, non pro cæterâ prudentiâ ab utroque rege factum. Quippe hæc regnorum lex est, ut per proceres indigenas unumquodque gubernetur; & in fide se eorum acquiescere rex ostendat: si præficiat peregrinos, detrectare ferè obsequium cives solent: ac, si fidem in dubium vocet, ad perfidiam irritantur. Christianus, ut comprimeret tumultum, per initia nondum validum, ire in Sueciam instituit: classem instruit, & militiæ Danicæ, Holfaticæque, florem imponit. Cum Stocholmum appulisset, quidam eum, homines infesti maximè, ut circumvenirent astu, accedentes, Salistæum, regni antistitem primarium, & conspectæ in ipsum fidei, per calumniam accusant, velut omnis mali auctorem: ac futurum, esse ajunt, ni maturè provideret, ut, quemadmodum pridem Carolum, ipsum quoque regno exigeret. Hæc fingebant, ut, si rex, indignitate rei motus, quod futurum prævidebant, Salistæum comprehenderet, aut suspectum porrò haberet, consanguineos, toto regno potentissimos, ad sumenda in eum arma concitarent. Princeps optimus, nimiam credulitate, quâ plerunque, ut quis bonitate præstat, ita maximè laborat, dum existimat vera dicere delatores, in suspicionem adducitur. Quam ut porrò confirmarent, etiam libellos spargunt, famam viri innocentis magis quoque impulsuros. Ac traducunt, tanquam regis proditorem: quique hoc conatu omni moliatur, uti Carolum, ab exilio revocatum, restitueret. Denique tantum effecere, ut consiliis eorum callidissimis se permittens Christianus, nihil tale agitari suspicatus, comprehensum mox in Daniam transmitteret. Summa erat ejus viri in regem fides, summa merita: neque regno dejici Christianus poterat, nisi prius hoc remoto, qui consilia factiosa unus maximè impediret. Itaque ab eo primùm subruendo initium factum, ut minore post negotio ipse rex everteretur. Quare, cum id effecissent, inchoatas jam insidias persequuntur: & amicos capti accedunt, incitantque in vindictam. *Non ferendam injuriam esse, quæ ad omnes pertineret: ac tentari in Salistæo, quid passuri ipsi essent. Nulli dubiam ejus fidem, meritum-*

CIO CCCC  
LXIII.

ritumq; & si sanguinis communis nullâ curâ afficiantur, saltem viri innocentia moverentur: cuius si periculum spernant, idem omnes aliquando subituros. Quare, si constare sibi deinceps dignitatem vellent, arma caperent, Carolumq; ab exilio revocarent: & in regnum, pridem ereptum, restituerent. Quod si facerent, suum exemplum omnes incolas sine dubio secuturos. Neque mora, arma sumunt: & cum iis passim incolæ. Iamque aperta rebellio erat, & in regem incurfatur: qui, commisso acri prælio, diu ancipiti, tandem victus, classem repetit, & in Daniam enavigat. Eâ in pugna multi ex regiis cecidere, multi capti: neque pauci, dum in naves fugam capiunt, trepidatione nimia, aquis merfi. Sueci, post victoriam illam etiam magis alieni à rege suo, fidem in eum, & obsequium, planè exuunt. Insuper Dantiscum mittunt, ubi Carolus tunc agebat: & ablatum antè regnum rursus offerunt. Isque, nil cunctandum ratus, post exilii annos septem, ocyus in Sueciam redit: magna ab iis, qui à partibus ejus steterant, gratulatione exceptus. Verùm nulli, alternante dein fortunâ, gaudium diuturnum fuit. Ipse enim, dum illorum fluxam iterum in se fidem experitur, sponte suâ regno cedit: vel hoc uno in postremo vitæ actu celebrandus, quod, ambitionis potens, etiam contemnere sese regnum posse omnibus testatum faceret. Christianus, cum in Daniam rediisset, fraudem, quam ferè, agnoscens, libertatem Salistæo mox restituit; & injuriam ut compenset, summo in honore habet: inde in Sueciam remittit, cum honesto comitatu. Vbi, rursus offensus Carolo, pristinum in regem affectum conservavit. Hæc cum ita gesta essent, Pius pontifex, ejus nominis secundus, anno proximè insequente, concilio Mantuæ generali convocato, cum ad bellum contra Turcas principes cunctos excitare conaretur, Christianum, cujus virtus singularis, animique magnitudo, & peritia armorum, famâ jam illustri esset, minimè sibi negligendum existimavit. Itaque legatum mittit, & ad arma conjungenda exhortatur. Sed, implicito rebus suis Christiano, frustra hæc pontificis legatio fuit. Anno proximo, Gerhardus, alter Christiani frater, cum Mauritius decessisset, in

CIO CCCC  
LXIV.

Holfatiam se recepit: ac pecuniam, pro re-

nuntiatione sibi debitam, ad quam fratris, jam defuncti, etiam pars accessisset, exhiberi postulavit. Aberat longiùs Christianus, in extremo regni limite, rebus gravibus occupatus. Neque inter Holfatiæ proceres quisquam erat, qui pecuniam expendere, aut cum eo regis nomine transigendum existimaret. Hinc Gerhardus, astu sibi agendum ratus, arces, in quas divertebat, sensim occupat, & in suam fidem cogit; dein pro comitatus se gubernatore palàm gerit, pronâ plebe: cui, nobilitati adversus, se benigniorem semper exhibuerat. Proceres verò, vim opponere non ausi, cum consilia contulissent, rem per literas regi nuntiant. Is, quid moliretur frater, postquam accepit, rem periculosam ratus, etsi maximis regni rebus impeditus, reditum parat. Ac respondet, se venire: & Chilonem, ad negotium componendum, convenire omnes velle. His comitiis, jus Gerhardus suum urgere: & aut terræ partem aliquam, aut pecuniam, quæ promissa, flagitare. Æqua postulare viso, postquam literæ cautionis, & fidejussores dati, res composita in præsens fuit: ac Gerhardus Delmenhorstum, rex in regnum se recepit. Quo negotiis iterum Suecicis occupato, continere se Gerhardus minimè potuit, quin recurreret in Holfatiam, & munitiones rursus comitatus occuparet; ac in illis arcem, urbemque, Rensburgensem: Quam Dorothea, vidua Adolphi ducis, dotis nomine possidebat. Quæ injuriam cum principibus consanguineis quæsta esset, atque hi ad Sigismundum Imperatorem detulissent, missi ab eo duo comites Hennebergici, ut rem universam inquirerent, & componerent. Illi verò, cum Lubecam advenissent, & Gerhardum isthuc ad se evocassent, stitit ille quidem sese, verùm, ut desisteret cæptis, ac Dorotheæ urbem, arcemque, restitueret, nec auctoritate Cæsaris, neve ratione ullâ, impelli potuit. Quod regina cum acciperet, non ulterius viduæ injuriam ferens, pro dotalibus istis bonis aureos ei bis mille, & ducentos, repræsentat: annuosque in futurum, quo ad viveret, octingentos pollicetur. Hunc in modum postquam res transacta esset, & Gerhardus Delmenhorstum

CIO CCCC  
LXV.

horstum

horstium rediisset, mox Bremensibus bellum infert: qui quod mercatoribus suis inter viam merces varias, nullo persoluto pretio, ademisset, præfulem in illum suum concitarent. Quo ipso tempore, cum Dorothea, vidua Adolphi ducis, è Thuringiâ rediret, quò profecta visendorum amicorum causâ fuerat, comitemque itineris sui Ernestum Honsteinium haberet, virum illustrem, ac cognatione junctum: Benedictus Aleveldius, è primoribus Holfatiæ, manum illi, incertâ causâ, injicit, & captivum abducit. alii ajunt, quod sine ullâ fide publicâ, quam vir nullo modo hostis non petendam existimaverat, accessisset. Dorothea, apud regem quæta est, *se in ejus ditione, quem cum fratribus in mariti Adolphi aulâ educasset, nihil tale metuisse; neque dubium habere, quin memoria beneficii, gratiaq; ipsi constet: itaque enixè orare, uti hominem innocentem, quem è sua secum domo vie comitem eduxisset, esse liberum juberet. idque, si non meritis in ipsum suis, at communi peregrinantium juri daret.* Iusta hæc oratio erat: itaque captivum rex dimittere jubet. Verùm ea rerum tunc conditio erat, ut non, nisi promissis prius quatuor aureorum millibus, libertati redderetur. Dorothea verò, cum Rensburgo, ubi in sequentem usque annum egit, virum equestris dignitatis præfecisset, in Thuringiam recessit. ac Gerhardus, in Holfatiam reversus, Frisios, astu circumventos, ostensis literis, quas à rege fratre sese accepisse jactitabat, ad præstandum sibi fidei juramentum mox pellexit, quod ut regi gnarum fuit, acriter per literas objurgat eos; & accusat levitatem, quod ad dominum alienum, sine voluntatis suæ certiore testimonio, transiissent. quibus postquam parum sese profecisse animadvertit, indignatus, cum Dorotheâ uxore, & selecto comitatu, in Holfatiam proficiscitur. cumq; illic Segebergum pervenisset, statim habito delectu, militem civitatibus imperat; tum Lubecâ, & Hamburgo, auxilia petit: quæ submissa, sine morâ. Animus erat, armis fratrem, sapius feditiosum, cœercere: quamvis tamen, dissuadente id fenatu, qui committi, illo imprimis tempore, fratres, non censabat è re publicâ, mox sententiam mutavit. potiusque visum fuit, ad reddendam

antè actorum rationem evocare. quod ut factum, ille, conscientia anxius, consilium cum suis capit, quidnam factò usus foret. tandem placuit, ut fraternæ benevolentia se permetteret. itaque, parvo comitatu, regem adit. cui modestè postquam sese excusasset, is, ut erat amans fratris, & naturâ perbenignus, non tam rigidè animadvertendum ratus, subsistere Segebergi jubet, donec redeat, & custodiam clam apponit: ipse se Chilonem confert, ad indicta hinc comitia, cum Dorotheâ uxore. Interim Gerhardus illic diligenter asservatus, sub custodia tam occultâ, ut nec ipse captum sese intelligeret. & Dorothea regina, prudens foemina, cum discederet, regem maritum ad comitia secutura, blandè abieus compellat; *ne taderet paulum illic, dum reverteretur frater, commorari: nam mandatum, ita uti haberetur, ac si Delmenhorsti esset.* Inter ista, in conventu Chilonensi rex pertractat de pecuniâ, quæ Gerharδο debebatur, persolvendâ; placuitque, in certum tempus despertiri. atque sic Holfatiam ille missam faceret, nec reverteretur unquam: eo quidem, quo advenerat pridem, animo. Frisii verò, qui, per fraudem circumventi, se Gerharδο obstrinxissent, dicto denuò Christiano sacramento, in gratiam recipiuntur. Verum tamen mox à fide recessere. Nam Gerhardus, altero ab hac transactione anno, sive revocatus clanculum, sive suâ spe excitus, posse rem præclare geri, per absentiam Christiani, in limite Sueciæ occupati, navigio Husium appellit: militem vehens, bellicumque instrumentum. cum silentio exscendit, propereque loca opportuna munit, antè quàm ad regem nuntius perveniret. Frisii, perfidiam iterant: & à rege desciscentes, cum Gerharδο se conjungunt. extruunt munitiones, quæq; bello necessaria, ocius parant: ac rebellio gravior priorè fuit. Christianus, postquam nuntium accepisset, reprimentum fratrem ratus, antè quàm morâ longiore vires sibi compararet, firmaretque: illico, delectu habito, & auxiliis, uti pridem, Lubecensium Hamburgensiumque accitis, rursus in Gerhardum movet. Qui, adventu intellecto, fugam capit, & evadit: indulgente Christiano, qui elabi, quàm prehendi, fratrem mallet. Ita depulso Gerhar-

Gerhar-

C10 cccc  
LXVI.

Gerhardo, comprehensi principes rebellionis, capite luunt. Vnus horum, Hennigus Lupus, in Dithmarsiam profugit: nec multo post ob insolentiam interfectus, non effugere poenam potuit, quam meruerat.

C10 cccc  
LXVII.

Interim Carolus, à proceribus regni Sueciæ, contra fidem, Christiano regi datam, revocatus; certus, illum non passurum, Sueciâ sese per rebellionem ejici, communi sibi principatum fatagit: orans suos, quando ultrò revocassent, ut in fide, & obsequio, perseverent. Tum auxilia, undecunque per legatos item parat; & nonnullos è primatibus regni Daniæ, qui in limite habitabant, ad se pellicit: inter quos Ivarum Axelium, magnâ virum dignitate, & potentiâ: Solvisburgi, & Lilloi, in Hallandiâ præfectum. Is, infensus Christiano, cum affinitate Caroli, tum repulsâ quoque fratris, qui episcopatum pridem Othoniensem obtinere non potuerat, postquam arces, quas jam dixi, commeatu, ac præsidio, muniisset, & obsequio renuntiat, & ad Carolum palam transit. Quibus rebus Christiano nunciatis, nihil ille prius duxit, quàm movere in Hallandiam: ne, firmato per absentiam suam hoste, spe impunitatis captâ, plures ad defectionem traherentur. itaque vere insequente, magnis copiis coactis, postquam eò appulisset, ut nutantes in obsequio retineret, & perculsos confirmaret, præsidia ubique locat. inde castra arcibus Ivari admovet; & ex iis Solvisburgum, proximo autumno recipit: sed Lilloum, in sequentem usque annum obsidionem toleravit. ac tunc demum expugnatum, solò æquatur. Istis in Hallandiâ gestis, & recuperatis his munitionibus, Christianus, cum in Suecos rebellantes, Caroli-que revocatum, proficisci statuisset, ne legitimo successore regnum Daniæ careret, si quid fortè humanitus sibi in hac expeditione eveniret, filium suum Ioannem, annos jam duodecim plus minus natum, in conventu Scaniensi, ante Lundiam, loco regibus eligendis dudum proprio, summo procerum consensu, ad diem vi mensis Iunii, regem designari curat. per quod tempus, cum Islandiæ præfectum, grandius vectigal fortè extorquentem, mercatores illic Angli occidissent, irritato eâ cæde ingentem universam animo; tum quod do-

C10 cccc  
LXVIII.C10 cccc  
LXIX.

nativum item, proavo materno Henrico, Holsatiæ comiti, nomine militiae debitum, necdum tunc solutum esset: quatuor eorum naves detinet, capit, & impositas merces distrahit. Hinc Vandalicis mercatoribus, qui in Angliâ, ingens malum concitatum. quippe capti, ac carceribus mancipati, & rebus omnibus spoliati, graviter affligebantur; cum infimularent Angli, ipsorum instinctu Christianum hæc egisse: neque persuaderi sibi paterentur, non commune iis quicquam cum Danorum rege esse. mox in bellum res erumpit: quod, cum multa passim damna Angli acciperent, vix componitur. Hinc in Sueciam classem armat. quæ cum navem Lubecensem, plurimis onustam mercibus, ceu hostilem, quod è Sueciâ adveniret, alteramque è Livoniâ, invasisset: Lubecenses, mox commercia suspendunt, & legatum ad regem mittunt, qui erepta reddi postulet. sed, cum id, distractis multifariam mercibus, fieri nullo modo posset, ne quicquam legatio fuit: cautum tamen, ne deinceps damnum ullum paterentur. In Sueciâ duæ arces erant, quæ obsequium in regem retinebant. has Ivarus, de quo paullo antè dixi, magnâ comparatâ manu, oppugnare est aggressus: sed, præsidio validissimè repugnante, & immisso à rege auxilio, discedere ab obsidione coactus fuit. cumque postea, ignominia irritatus, Daniam ipsam armis peteret, ibi se feliciter pugnaturum ratus, rex, accepto rei nuntio, in campo Herlingo, ad Elinsburgum, ei occurrit. Diu acris pugna fuit; & victoriam in principio pugnans fortiter Ivarus satis dubiam faciebat: sed postremum, inclinante ejus acie, in fugam actus, totum secum exercitum traxit. Dani verò, fugientes persecuti, magnam stragem edidere: captis, & occisis, plurimis. Fracti eâ clade Sueci, ne rex copias promoveret, & in totum porrò regnum impetum faceret, pacem petunt: Sueciam offerunt, Caroli-que se honestâ aliquâ transactione amoturos pollicentur. Eam in rem mox Lubecam affuturos, qui cum plenâ potestate, de communi omnium procerum consensu, hoc negotium tractarent. Si eodem rex venire non gravetur, se sperare, facile controversiam diremptum iri. Ideò verò Lube-

CCCC  
LXX
 Lubecam ad conventum destinare; quod, ob mutua gentis utriusque odia, neutro in regno locus dari tutus possit. Rex, ut primum in pacem animum testaretur, accipit, quæ offeruntur: arma ponit, & in Daniam regreditur. Vbi cum res ordinasset, Gerharo fratre, & episcopis item tribus, plurimisque regni procerum comitatus, Lubecam tempore constituto proficiscitur. Sueci, diu expectati, postquam tandem accessere, ventum adversum causati, moram æquo longiorem excusarunt. Ut conventum aliquoties, nil effectum tamen fuit: certis Suecis, quanquam id dissimularent, ad obsequium non redire. Etenim sic statuebant; facile se mediam inter duos reges libertatem tuituros: si potentiam Christiani formidandam Caroli objectu frangerent, Carolique insolentiam rursus metu Christiani coercerent. Itaque mox, re infecta, discessere. Dum autem illi expectantur, rex querentes damna accepta terrâ pariter marique mercatores benignè admittere, & audire; ac, putato uniuscujusque damno, partem ejus ære præsentem sarcire: de cætero verò cavere, Chilone urbe, atque arce, pigneratâ. Quod à Lubecensibus admodum callidè actum: uti portu ejus urbis, qui id temporis, ob commercia omnis generis, multò celeberrimus erat, potirentur. ideoque, constituto paulò post ibidem loci publicano, pecuniam, ex mercimoniis more prisco redire ad senatum solitam, ipsi totam interceptere. quâ de re cum Chilonenses apud regem quererentur, ita eum permoverunt, ut mox & redimeret urbem, & senatui restitueret. Sueci, rege sic deluso, postquam domum abiissent, Christianus, non ferendam sibi contumeliam ratus, comparatis properè copiis, rursus Sueciam tentavit; summâ hieme, cum venturum nemo crederet: itinere, in montosâ planè regione, transitumque tantum angustum exhibente, difficillimo. quod cum Sueci accepissent, in paludes, atque silvas confertissimas, cum uxoribus, liberisque, sese abdunt: & munitiones struunt, densâ arborum concæde. Christianus, postquam, eos insecutus, ad Tywediam usque silvam pervenisset, statim insidias Petrus Oxius deprehendit. itaque cohortes ali-

quot levis armaturæ mittit; & nonnullos è peditibus, qui explorent: hostiumque numerum pariter, & consilium speculantur. Sueci verò, cum deinde impetum in munitionem Dani facerent, sine ullo sanè negotio propulsantes, plurimos interfecere: &, mox etiam erumpentes, atque in latus incurrentes, cum non parvum item numerum cecidissent, mox regressi, intra munimentum sese recepere. ita, cum fuorum clade, rex recedere coactus, partim asperitate hiemis, partim pabuli inopiâ, copias demum reduxit. Vix hæc gesta, cum è vitâ excessisse Carolus annuntiat. quo defuncto, rursus proceres, de constituendo illi successore agitantes, discedere. Salistæus, aliique, revocandum Christianum; alii, obniti pertinaciter: & Suantonem, Caroli è sorore nepotem, quem is moriens designasset, eligendum existimare. Christianus, cui Sueciæ vindicandæ tempus opportunum esse videretur, magno undique militum collecto numero, & instructâ in portu Lubecensi classè, eò tendit. ubi postquam appulisset, Brunchebergum, editum ad Stocholmum montem, statim occupat: positisque ad radices ejus castris, urbem obsidione cingit. Sueci, quod desperant armis, dolo obtinere posse, animum inducunt. itaque, suspensum eum per blanditiam detinentes, moras nectunt: dum, absumpto commeatu, & redacto ad extremam inopiam milite, minimo suo discrimine, fractos viribus, animisque, integri ipsi invadentes, debellant. Sensit dolum, quanquam serò, Christianus: nam, consumpto penè omni commeatu, Dalecarlos, qui fortissimi inter Suecos censebantur, adventare nuntiatur. ac vix aderant, cum erumpunt oppidani: atque à fronte regem invadunt, Dalecarlis contra tergo imminentibus. Rex, ut erat animo magno in periculis, & intrepido, ocyus ordinatâ acie, suos ad virtutem hortatur, & alacriter pugnam init. anceps diu prælium fuit; ac rex ipse cum gregarii militis instar, quàm fortissimè dimicaret, sagitta, ab hoste immissa, dentes anteriores duos ei excussit: &, in fauces usque penetrans, ad eò inhæsit, ut deinde non minore cum periculo, quàm dolore, extracta fuerit. itaque

fatiscen-

CIC CCCC

LXX.

CIC CCC

LXXI.

CCCC  
LXX

C10 CCCC  
LXXI.

fatifcentem aciem porrò impellentes Sue-  
ci, tandem vincunt, & ingentem stragem  
edunt, multi cæsi; multi, dum in classẽ  
suam fugâ evadere connituntur, aquâ mer-  
si: neque pauci etiam capti. Christianus  
cum reliquiis domum repetit; neque ex  
eo tempore quicquam ultra in Sueciam  
molitur: sive bellandi pertæsus; & parcen-  
dum deinceps sanguini subditorum arbi-  
tratus, cujus potissimum rationem bono  
principi habendam sciret: sive cum ani-  
mo suo reputans, regna quævis fato dari,  
& auferri: denique etiam, ut, fortunâ ad-  
huc integrâ, quæ corrumpi clade aliquâ  
majore planè poterat, jus in regnum illud  
suum hæredi illibatum traderet. Itaque

C10 CCCC  
LXXII.

otio, & quieti, sese dedit: animoque ad  
pietatem applicato, ædibus sacris, & ege-  
nis, ac invalidis, multa passim elargitur. sa-  
crorum antistites, partim summâ liberali-  
tate fovet, partim etiam magno in hono-  
re habet; eos maximè, quos doctrinâ emi-  
nere intelligeret; multis illud, in non eru-  
dito Principe, demirantibus. Post hæc,  
etiam Romam ire, voti reus, animum in-  
ducit. & adjungit sibi comitem, Ioannem  
Saxonem, Lawenburgicum; principesque,  
ac præfules, extraneos alios: tum è suis  
ditionibus, nobilissimo quosque genere,  
viros centum quinquaginta. Iter incipit in-  
eunte Ianuario; ac, profectus Segebergo,  
inter viam Imperatorem Fridericum

C10 CCCC  
LXXIV.

III  
adit, Rottenburgi tunc agentem. à quo  
exceptus honorificè, & pro regis tam po-  
tentis dignitate, post sermonem de regno-  
rum suorum statu, ac cæteri orbis Chri-  
stiani, de Dithmarsis mentionem illi inji-  
cit: *esse in suis ditionibus, intrâ Imperii Roma-  
ni fines, gentem admodum ferocem, finitimis  
gravem, nulli principi subjectam, & libertate  
usurpatâ insolentem. eam sibi, quando non sit è  
re publicâ, populum sine principe agere, subjici  
petit: tum Holsatiæ, ac Stormariæ, comitatum,  
ac Dithmarsis regionem, in ducatum commuta-  
ri.* Nec gravatus Imperator, annuit amici  
regis postulatis; &, extincto vetere comi-  
tatus titulo, ac ducatu ex tribus illis ditio-  
nibus uno facto, regi hunc, solenni in ta-  
libus more, confert: literisque, in rem i-  
stam requisitis, donum firmat. His acce-  
ptis, iter institutum urget: &, magnificè  
passim acceptus ab Italiæ Principibus, ur-

bibusque, mense Aprili ineunte, Romam  
venit. Summum tunc pontificatum Six-  
tus IV obtinebat; qui regnorum trium  
regem potentissimum, cujus fama jam ad-  
ventum anteverterat, obviam misso Car-  
dinalium senatu, summo cum honore ex-  
cipit, & hospitium in palatio suo tribuit:  
ac, sermone aliquoties collato, plurimis  
eum donis ornat. Inter quæ ex auro rosa:  
tantum maximis principibus, quorum sibi  
gratiam obstrictam cuperet, dari solita.  
Atque hæc reversus postea in sacello ædis  
summæ Roschildensis, ad australe latus fi-  
to, dedicavit. Insuper, cum literarum dig-  
nitatem, quamlibet indoctus ipse, apud  
animum reputaret; & obscuram cætera-  
rum rerum gloriam, sine literarum luce:  
committendum non putavit, quin, per  
hanc occasionem, erigendæ in suâ Daniâ  
Academiæ potestatem à pontifice impe-  
traret. Idem sibi ante ipsum Ericus X pro-  
posuerat: & licentiam à Martino V, Papâ,  
annis antè quatuor & quinquaginta, ob-  
tinuerat. Verum bella, mox exorta, & tu-  
multus, rem præclaram protraxere: ut vir-  
tuti Christiani laus hæc, quasi fato quo-  
dam, reservata videatur. Votum quoque,  
de visendâ terrâ sanctâ, nuncupaverat: sed  
hoc eum papa Sixtus liberavit. Inde, dies  
unum & viginti in urbe commoratus, do-  
mum redit. Et, Alberto marchione, cujus  
è Ioanne fratre neptem sibi uxorem duxe-  
rat, in itinere salutato, cum appropinqua-  
ret Rheño, evocatis ad se ducibus, Fride-  
rico Brunsvicensi, Magno Megapolitano;  
& comitibus, Iacobo Ruppino, ac Ger-  
hardo item fratre, gravem illam contro-  
versiam, inter Carolum Burgundum, qui  
Novesium eo tempore obsidebat, & Co-  
loniensem ecclesiam, componere nisus,  
cum conatus frustra esset, tandem in Da-  
niam regreditur. Vulgò creditum, idè ip-  
sum ad Burgundum deflexisse, ut cum eo  
fædus iceret, ad Vandalicas civitates post  
id bellum junctis viribus oppugnandas. Per  
id tempus in Norvegiâ Berga civitas, in-  
certum unde, aut quo modo, cœpto in-  
cendio, penè tota conflagravit: adè graf-  
sante flammâ, ut vix eripi quicquam pos-  
set. Anno proximo, ad struendam Acade-  
miam, cui rei privilegium Romæ pridem  
à Pontifice impetraverat, animum vertens;  
cum

C10 CCCC  
LXXV.C10 CCCC  
LXXVI.  
C10 CCCC  
LXXVII.C10 CCCC  
LXXVIII.C10 CCCC  
LXXIX.C10 CCCC  
LXXX.



cum dispiceret de loco, advocatis in consilium senatoribus, urbem Hafniensem legit: ratus, Musis neque dignius domicilium dari posse, quam in ipsa Regum sede: nec commodius, quam in urbe regni prima, ubi omnia vitæ commoda abundarent. Quo peracto, cum biennium summam in quiete egisset; & Ioanni, filio suo, regni hæredi, matrimonium circumspiceret: è Saxoniam id petendum arbitratus, mittit ad Ernestum ducem, ac septemvirum Imperii, Albertum, episcopum Lubecensem; Ericum Oxium, aulae præfectum: & præpositum Hamburgensem, Albertum Clitzingum. hi, mandata exsequentes, cum Christinam, Ernesti filiam, sex & decem annos natam, in uxorem regis filio petiissent, perhonestam orationem facile obtinuerunt. itaque mox illam Albertus, marchio Misniæ, sponsæ patruus, cum episcopo Mersburgensi, & magnifico comitatu, anno proximè insecuto, Rostochium deduxit. ubi exceptus à supremo regni antistite, Ioanne Brocstorpio, & primatibus viris aliis, ordinisque senatorii, inde in adversam Falstriam mox deducitur: atque hinc in Sialandiam. in quam postquam appulissent, Christianus, cum equitibus quingentis, venientes honorificè valdè excepit, Hafniamque sic deduxit. ubi porrò extra urbem obviam procedens sponsus, cum equitibus trecentis, eodem vestium colore, post amplexum sponsæ suæ, reliquum ejus comitatum perbenignè salutavit. atque inde in urbem, & arcem, itum fuit: moxque in primariam aede, ad diem VIII. Id. Septembris, confirmato matrimonio, nuptiæ magnifico admodum apparatu celebratæ. acti & equestres ludi: quibus Marchio Albertus, sponsæ, uti dixi, patruus, magnam laudem reportavit. Post hæc novæ Academiae, cui ante tres jam annos locus Hafniæ designatus, & interea etiam paratus fuerat, curam repetens Christianus, dat mandatum Petro Alberto, ut futuros Professores convocaret. qui, cum iussa perfecisset, anno proximo universos introduxit: & inauguratio facta est ipsis Iunii Kalendis, coram rege, & episcopo Roschildensi, item aliis præsulibus, ac nobilitate regni. Quibus actis, mox Rensburgum, Holsatiæ urbem proficiscitur; ac

Dithmarfos convenire illuc jubet: & legatos Lubecensium, Hamburgensiumque, vocat. cumque convenissent omnes, Friderici Imperatoris literas promens, petit; *ut Dithmarsii obtemperent: ac conjuncti cum Holsatiâ, & Stormariâ, se deinceps ducem agnoscant.* Verùm illi respondere: *malè doctum Imperatorem, aliena elargitum sibi terram suam esse; & dominum, temporale pariter ac spirituale, ad Bremensem Archiepiscopum pertinere: ab eo tempore, quo, Dithmarsia ultimo comite decedente, Hartwico ipsos, archiepiscopo Bremensium, Fridericus, nominis istius primus, subiecisset: & deinde in illius potestate permansisse.* Regerente Christiano, *ex eo die saepe dominium mutasse; Daniæque aliquando, sub secundo Waldemaro; aliquando, Holsatiæ comiti paruisse: atque his contra dicentibus, etiamnum præfulem illum præfectos ipsis imposuisse, quæ res planè dominatum testaretur: neque se passuros esse, ut à domino tam vetusto separentur;* nec contentionis ejus finis esset: tandem illis annum indulgere placuit, intraque, quod è re suâ videretur, consultarent. Inter ista, asperatus Christianus, præter solitam mansuetudinem, multa inclementiùs agere: quodam etiam è nobilitate primam in exilium ire iussit. Qui mox, ad Albertum ducem Megapolitanum profugus, morbo ex dolore animi comparato, Gustrovii, ubi sedem fixerat, diem obiit. Ejus filii variè placare regem, sed nequicquam, tentaverunt: neque recipi in gratiam, nisi à Ioanne filio, post annorum plurimorum intervallum, multam propinquorum operam, potuere. Iræ aded pertinacis, in mansueto aliàs rege, causa latuit: cum nonnulli, atrox quoddam viri facinus; alii, linguæ inconsultam libertatem offendisse existimarent. Post hæc nobiles Holsatiæ, qui debere sibi regem prætendebant, Segebergum evocatos, literas exhibere jubet, quibus ipsum sibi obligatum dicerent: ut cognosceret, in quem usum, quonam loco, item tempore, expendissent. Quas cum illi protulissent, separatam inter se usuram ac forte, hæc promissam, illam verò denegatam, universa æris sui alieni documenta abolevit. Quendam ferunt, indignantem, ita se rejectum esse, petiisse, ut admitti ad regem posset; cumque non admitteretur, vi submoto janitore, in coenaculum irrupisse,

CICCCC  
LXXIX.

& inventum ibi regem accessisse: tum pecuniam ubi, & quando, expendisset, declarasse; ac pericula memorasse, quæ pro ipso bellis Suecicis adiiisset: insuper, ab hoste captum aliquoties, ingens libertatis pretium solvere coactum esse. quod si nunc, pro homine ignoto, & obscuro, expellatur, nec benignum sibi regem experiat; injuriæ, quam pateretur, calum pariter atque terram sese testes vocaturum. Hæc constanti ad eum animo cum dicentem Christianus animadverteret; ac fiduciam verborum veritatis testimonium certum interpretaretur, blandè virum allocutus, bono esse animo jubet: & pecuniam, in tempus

CICCCC  
LXXX.

quoddam distributam, pollicetur. Quibus in Holsatiâ actis, cum in Daniam rediisset, Ioannem Brocstorpium, regni præfulem primarium, cum nonnullis è senatu, Halmstadium in Scaniam mittit: ubi & de renovando reginæ Margaretæ fœdere, & de ipso in regnum rursus admittendo, cum legatis Suecis ageret. ac in fœderis negotio, facilè Sueci consensere: in recipiendo eo, dissidebant. tandem isthuc inclinatum, ut Ioannem, ejus filium, quem consortem regni Danici jam fecisset, regem Sueciæ designarent: & pollicerentur regnum, simul atque è vitâ pater Christianus excessisset. His peractis, & soluto mox conventu, brevi interjecto tempore, Lundiam Ioannes venit: atque illic à Brocstorpio archiepiscopo ante urbem, loco ei rei proprio, repetito juramento, iterum rex, summo populi applausu, salutatur. Utque festum hunc annum habuit, ita proximum gaudio, & luctu, varium. Quippe, ad secundum diem mensis Maji filio auctus, Christiano, regni postea hærede, ad vicesimum primum ejusdem, patrem amisit. Diem ille arce Hafniensi obiit, anno regni tricesimo tertio; ac sepultus est Roschildæ, in sacello, à se extracto, in australi templi latere: in quo & Christophorus Bavarus, cui successerat, tumultus. Erat princeps, nullis

CICCCC  
LXXXI.

quidem imbutus literis; quod & meritò in tam magno rege papa Sixtus IV, cum religionis causâ, uti dixi, Romam viseret, mirabatur: sed, in Deum pietate, & justitiâ animique magnitudine, moderatione, fide, armorum gloriâ, munificentia, nulli principum secundus. Gothiam extorsit Suecis; inde Sueciam quoque ipsam subjugavit: tum Holsatiam, ære maximo redemptam, Daniæ addidit. Hinc Dithmarsiam, quanquam planè refragantem, cum Holsatiæ, ac Stormariæ, comitatibus, ducis nomine sub imperium suum accepit. In toto verò ejus regno annis tot administrato, nihil ad eum est quod culpes; quam, quod archiepiscopum Vpsaliensem, ac primatem regni Sueciæ, Ioannem Benedicti F. Salistæum, tam præclarè de se meritum, nimis temerè delatoribus aurem præbens, dignitate deturbavit: & captivum in Daniam missum, aliquamdiu indignè habuit. Sed hoc regum ferè fatum est; ut, fortunâ eminente, cum periculis non exiguis, plurimisque, sint expositi, omnia sæpè, etiam tuta, metuentes, facilè, quod timent, credant: & præcipites crimina, nec cogitata, ulciscantur. At delictum nihilominus emendavit; cum deinde, exploratâ ejus viri innocentia, agnitâque suâ culpâ, per benignè, maximoque cum honore, priscae libertati reddidit: & ostendit, infelicitate potius, tam excelsæ potestati quasi propria, quàm malitiâ, se peccasse. Liberos è Dorotheâ uxore quatuor sustulit; Olavum, in primâ ætate mortuum: Ioannem, in regno successorem: Fridericum, Slesvici, & Holsatiæ ducem; ipsum quoque, post nepotem è fratre, regem: & Margaretam, Scotiæ regi, Iacobo IV, elocatam: cui dotis loco datæ, præter cætera, insulæ Orcades; sed hac lege, ut redimere liceret Daniæ regi cuicumque, quovis tempore.

I O A N N I S M E V R S I  
 H I S T O R I Æ  
 D A N I C Æ  
 L I B E R I I.

Qui complectitur regnum I O A N N I S.

CCCC  
 LXXI.



OSTQVAM diem Christianus obiisset, Ioannes filius regnum adiit. Quando verò Sueci pridem, mortuo Carolo, Canuti F. nepotem ejus, Stenonem Sturam seniore, regno Sueciæ præfecissent: legati à proceribus Daniae missi ad illos, petierunt, uti ipse, cum proceribus regni aliis, convenire Halmstadium vellet, ad consilia, de communi illic rege eligendo, conferenda. Oppidum id est Hallandiae, prope ipsum Sueciæ limitem, constitutum à reginâ Margaretâ, ut deinceps trium borealium regnorum proceres, mortuo rege, illuc ad constituendum successorem convenirent. Steno, cum legationem accepisset, ut ambitiosus erat, quique regno quidvis etiam posthaberet, quanquam nihil sane minus cogitabat, quam Halmstadium proficisci, tamen ne, quæ animo agitabat, proderet, blando vultu, tempestivè adfuturum se, respondet. sed, cum tempus præstitutum advenisset, uti seridè à se agi fidem faceret, iter init. verum, ut Alvastrum venit, ac, recolligendi sui, aliquam ibi moram ducit, morbum vehementem simulat: quem ne quisquam fictum esse existimaret, siti pariter & inedia semet conficit. & ut porro omnem fraudis suspicionem amoveret, optimatibus, qui cum eo illuc venerant, sigillum ipse suum tradit; simul rogans, quando, ne Halmstadium iret, valetudo prohiberet, illi tamen se conferre eò vellent: quæque de communi rege proceres trium regnorum constituerent, ea ut sigillo suo confirmarent. verum illi, qui in speciem tantum ista dici scirent, accepturos se negarunt: & mox etiam dilabentes, re infectâ, domum quisque redierunt. Hæc cum Danis nuntiata,

ipsi, unâ cum Norvegis, qui in foedere persistebant, electionem, Halmstadii superiore anno factam, ratam habentes, Ioannem omnes uno ore regem dicunt. mox Calundeburgi etiam proceres regni, quibus urbium, arciumve, demandatæ præfecturæ, fidem suam cuncti sacramento obstringunt. Fratrem habebat, & hunc unicum, Fridericum: cui ut, defuncto patre, ditionum paternarum quædam pars assignaretur, comitia Chilone indixit. quò frequentes cum venissent, de Slesvici successore, & Holsatiæ, ac Stormariæ, quos ducatus jure sibi hæreditario Christianus acquisiverat, diu consultatum fuit. Aderat Dorothea illic, vidua defuncti regis: quæ affectu in Fridericum, multo magis quam Ioannem, propendebat. Et, Holsatis arbitrantibus, *quando duo regna amplissima Dania, ac Suecia, quanquam hæc jam defecisset, in Ioannem recidissent; æquum esse, ut Friderico integri ducatus cederent: Slesvicum quidem, instar feudi, unde regno obnoxius deinceps foret: Holsatia verò, ac Stormaria, in regnorum tam insignium compensationem quandam: illa id probare valdè, & urgere.* Sed regni proceres, sic censere; *quando duo illa regna non successione certâ, verum electione variâ, in quemcunque transferrentur, & Ioannes fortuito hæc teneret, non iniquum existimandum, ut Fridericus aut Norvegia sibi regnum totum sumeret, inque vicem integros ducatus eos fratri traderet; aut, si illud displiceret, factâ distributione, quantâ æquitate posset, sorte fratres inter sese partirentur.* Sed sententiæ huic alii adversari; *asserentes, ejusmodi divisionem litium, ac bellorum item, quæ ex illis nasci solent, fomitem perpetuum fore. Fratribus in præsens quidem re-ctè consuli: verum, postquam vitâ ipsi excessissent, tum nepotes semina dissidiorum maximorum habituros.* Contra optimates regni, cum contenderent, *si id fortè aliquando eveniret,*

CCCC  
 LXXI.

C10 CCCC  
LXXXI.

*facile componi posse*; reginam, & Senatum  
Holfaticum, in sententiam tandem suam  
pertraxere. Quippe sic existimabat pru-  
dens foemina; *incerta admodum regna esse,*  
*& precaria quodam modo, quae electione obtin-*  
*gerent: ac stabilia demum ea, quae hereditate*  
*accepta, ad posteros transmitti possent.* Et ex-  
perta ipsa erat; cum non ita multo ante  
Sueci, fidem, quam dedissent conjugii suo  
Christiano, exuentes, bellum grave, & per  
istud mala plurima, in his oris concitarent.  
Ea propter de sententiâ decedens, ac te-  
stata, *utrumque sibi filium esse, & aequali cari-*  
*tate, in aequales item partes dividi ducatus*  
petiit; parvam inde inter fratres de Nor-  
vegiâ controversiam fore rata: cui rei,  
quotquot aderant optimates, assenserunt.  
Sed quam rectè novo regi, & regno Da-  
niæ, consuluerint, qui ducatum Slesvicen-  
sem, sub Erico Pomerano separatam, nec  
recuperari facilem, vixque per Adolphi  
mortem restitutum, iterum tunc disjun-  
gendum censuerunt, judicent prudentes  
rerum. Quæ Chilone dum geruntur, pro-  
ceres Holfati quidam, à Christiano pri-  
dem in exilium acti, ut in ejus rebus dixi,  
deprecantibus amicis, mox conciliati re-  
gi, revocantur: redditaque illis bona, fisco  
addicta. Rex Ioannes, alteram ducatum  
duorum partem suo jure consecutus, alte-  
ram tutoris nomine, fratris vicem admini-  
straturus, accipit; & in Daniam reversus,  
regni insignia sibi petit. Quæ in tertium us-  
que annum nihilominus dilata; sive, quia  
novi regis mores prius explorare proceres  
vellent: sive, quia existimarent exspe-  
ctandum, donec Sueci, qui secesserant, ite-  
rum conjungerentur. Interim verò, ut in-  
genti beneficio suos sibi devinciret, cum  
ducatus Slesvicensis urbes penè universas,  
atque arces, vectigaliaque regni oppigno-  
rata intelligeret; ad Holfatiam, & Stor-  
mariam, mortuo Adolpho duce, ab Otho-  
ne Scouwenburgico coëmendam; ut ex-  
solveret patris debitum, & redimeret pi-  
gnorata, subditis toto regno suis pecuniam  
in hanc rem imperat. & Holfatiæ optima-  
tibus cum Rensburgũ, tum Flensburgum,  
convocatis anno proximè infecuto, inter  
alia summo omnium consensu id obtinuit,  
ut pro vomere unoquoque bini aurei pen-  
derentur. Hæc pecuniâ, ceteraque, quam è

C10 CCCC  
LXXXII.

regno comparaverat, urbes, arces, vecti-  
galiaque cuncta, quæ Holfatis pignori da-  
ta, sic redemit, ut omninò universis satis-  
faceret, neque quisquam injustè sibi quic-  
quam ademptum quereretur. Verum, quia  
rex tutelam fratris sui eo tempore gere-  
bat, de pecuniâ eadem, & ducatum item  
distributione, tanquam nimis inæquali, in-  
gens postea inter fratrem, filiumque Chri-  
stianum, lis exorta est: de quâ suo loco di-  
cam. Porro Daniæ senatores, postquam  
regem in regni curas toto animo incum-  
bentem animadvertunt, coronam etiam,  
quod distulerant jam in tertium à defun-  
cto patre annum, deferendam illi censent.  
itaque Hafniam evocatis universis regni  
ordinibus, etiam Norvegiensibus, ac non-  
nullis è Germaniæ principibus, confluen-  
tibusque ultrò ad solennitatem tantam ur-  
bium maritimarum oratoribus, ipso Pen-  
tecostes festo, quod in diem xv Kal. Junii  
incidebat, in primariâ urbis æde, à supre-  
mo regni antistite, cum Christinâ, uxore  
suâ, coronatur. ubi ante summum altare  
cum nonnullis mox equestrem dignita-  
tem, ut in talibus usitatum, contulisset, ma-  
gno in arcem comitatu est reductus. Ali-  
quot tunc dies acti inter epulas, & eque-  
stres item ludos. Per quod tempus Lube-  
censium, & Gedanensium, oratores, de Ia-  
cobo, Comite Oldenburgensi, tunc pira-  
ticam exercente, ac multa damna civibus  
suis inferente, apud regem conquerentes,  
coërçeri virum petunt: simul etiam privi-  
legia, à prioribus Daniæ regibus variè da-  
ta, confirmari. Isque, ut privilegia qui-  
dem confirmaret, facile animum indu-  
xit; quanquam ejus facti postea, cum in-  
gratitudinem eorum summam bello Sue-  
cico comperiret, poenitudo illum cepit:  
sed, ut in Iacobum absentem, indictâ cau-  
sâ, quicquam durius statueret, minimè ad-  
duci potuit. siquidem, priusquam mare in-  
festum redderet, isthoc se facturum esse,  
missis literis, certos fecerat: quod ereptam  
sibi arcem Delmenhorstum operâ ipso-  
rum diceret. At Ioannes, regni Daniæ  
jam coronam consecutus, mox Norve-  
giam classe petit, & Aslojam appellit. quâ  
in urbe, rebus regni ordinandis, aliquam-  
diu commoratus, terrestri itinere Nidro-  
siam abit: ubi, summâ gratulatione excep-  
tus,

tus, coronâ quoque, ad vicesimum diem Julii, decoratur. Quo peracto, in Daniam redit. Hic, quibusdam ad bellum Suecis, quod à foedere Margaretae defecissent, inferendum incitantibus, facile aurem præbisset, ni Dorothea ipsum mater revocasset. illa enim, ut erat animi planè moderati foemina, & prudentiâ supra sexum suum excellens, sedulo monere filium: *ne cum gente inconstanti, quæ promissum patri obsequium, & obstrictum juramento, vix septennium tenuisset, armis experiri vellet. quippe, etiamsi vinceret, & jurare in sua eos verba denuò impelleret, nihilominus admodum incertum fore, utrum fidem, quam parenti violassent, ipsi servaturi essent. Itaque quietem amaret; & contentus gemino regno, parceret suorum sanguini, ac futurum fortè esse, ut, defectionis tædio, ac pudore, sive malis intestinis fatigati, ultrò ad antiquum foedus revertantur: melius fidem servaturi, quam, non ullis armis acti, verum suo animi motu, tunc obstringerent.* His reginae matris monitis acquiescens, quàm diu quidem illa vixit, nullum in Suecos bellum movit. Interea verò regni Daniae primates, omni curâ in reducendam ad foedus Sueciam incumbentes, missis sæpè ad proceres ejus regni literis, ut concordiam, & decretum Margaretae, pro virili restituerent, adhortari non cessabant. & id tandem effecere, uti Sueci ad regnorum unionem facienda inclinarent, & Calmarniam eo ipso quoque anno, ad diem III Id. Novembris, convenirent. Quo cum Daniae item proceres advenissent, plurimaque ad concordiam conservandam inter sese contulissent, Sueci capita quædam proferunt, quibus si rex stare vellet, nullam in ipsis moram fore, quin coronâ etiam Sueciae decoratur. Inter ista callidè Steno, qui tunc regno toti præerat, ut promissa eludere posset, inseruerat; *uti debitum quaecunque patris Christiani solveret, tum conventus ut Calmarniae aestate proximâ haberetur: atque hic statueretur, cui potissimum borealium regnorum Gothia, quæ tunc Daniae suberat; & Schordalia, ac Swertovia, subjaceret.* Quæ Ioannes etsi minimè admissurus putaretur; nec passurus, ut electio sub conditione fieret: aut ut Gothia, belli jure acquisita, iterum in quaestionem vocaretur: tamen cum, concordiaë fanciendaë causâ, proceres Stenoni

quædam concessissent, etiam ipse acquievit. Atque ita uno omnium consensu Sueciae rex salutatur. Quibus actis, postquam omnes discessissent, Steno, in Sueciam reversus, cum spe suâ excidisse se videret, ac Ioannem, quod futurum non putarat, postquam in proposita capita consensisset, regem declaratum esse; fidei negligens, quâ se pridem in conventu tam solenni obstrinxisset, & obsequium promissum ipse exiit, & complures item alios, quos naturâ factiosos didicisset, ambiendo, largiendo, supplicando, ad se trahit. & ut facinus specie honesti tegetet, culpam in Ioannem confert: quasi ille neque solvere patris debitum statuisset, nec permittere, ut de Gothiâ proceres sententiam ferrent. sed utrunque quàm à veritate esset alienum, ipsi quoque Sueciae primates viri, quibus aliqua honestatis, fideique suæ, ratio habebatur, & Stenonis animus ambitiosus notus erat, facile intelligebant. Itaque eum accedentes, sæpiùs obtestabantur, *debitum Ioanni regnum, & promissum, ne quid porrò intervertere conaretur: neve existimationem ipse suam, procerumve cæterorum, perditum iret.* sed incassum laborabant. Annus proximus summâ rerum caritate, fame, peste, Daniam gravissimè afflixit: ut dimidiâ amplius parte homines pariter ac jumenta toto regno interirent. Qui sequutus, admodum tranquillus fuit; nec Ioannes per hunc quicquam omninò passus, neque fecit: verum, qui excepit illum, læta adversis temperavit. quippe filium Christianum, annum agentem ætatis sextum, postquam sibi, regni procerum consensu, successorem designasset, animumque ad quietem, & in eâ ordinationem rerum, applicare statuisset, pacis cupido causam belli Galli, Angli, atque Scoti, objecerunt. Nam piraticam exercebant; Daniaeque mercatores, quos in mari deprehenderent, bonis suis spoliabant. Cujus rei cum querelæ ipsi crebræ afferrentur, isque in Galliam, Angliamque, missis literis, de injuriâ questus esset, ac ne quicquam expostulasset; justam aded quaerimoniam insuper haberi cernens, regni sui senatores Hafniam vocat, in commune consulturos, quicquid ad stabiliendam publicam quietem regni pertinere videretur. Qui, frequentes postquam illuc con-

MDCCC  
LXXXVI.

venissent, & consilia de negotio gravis ad-  
eò momenti contulissent, visum fuit, ju-  
sto bello latrocinia coercere; & petendæ  
ipsis pacis, quam protervè recusassent, sic  
necessitatem imponere. Nec cunctatus,  
classem parat; milite, commeatu, implet:  
addit duces, militiâ navali claros, sub pa-  
rente Christiano, Pytcheorsium, & Pi-  
ningum. Ac successum tam felicem bel-  
lum habuit, ut mox hostes per legatos pa-  
cem petere sint coacti. His confectis ex-  
sententiâ, iterum Hafniam senatores con-  
venere. Agitatum est de Gothiæ præfe-  
cturâ; quam Ivarus, Axelii F. olim sibi à  
Christiano demandatam, obtinebat. Is, &  
genere, & auctoritate, excellens inter Sue-  
cos, postquam conjugem duxisset Caroli  
Canuti filiam, quem, dejecto Christiano,  
regnum Sueciæ invasisse memoravi, meri-  
tò suspectus erat inclinati etiam in Steno-  
nem animi. qui cum, contra quam Cal-  
marniæ promiserat, regiam sibi dignitatem  
vindicare decrevisset, minimè sanè quie-  
turus credebatur, antequam in potestatem  
insulam hanc redeisset. Itaque visum; &  
periculo obviam ire, & à præfecturâ eum  
removere. Ac Steno quidem, qui perspe-  
ctum sat haberet, quantum, ad gerendum  
cum Ioanne bellum, in hac insulâ situm  
esset, blandè cum Ivaro agere, uti Gothi-  
am, ac Finlandiam, quasque alias tunc ge-  
rebat præfecturas, permutare cum non-  
nullis Sueciæ arcibus animum induceret:  
& efficere tandem etiam, adjutantibus hinc  
amicis, ut Finlandiam, quamvis agrè, ipsi  
traderet. quâ potitus, cum ambitioni suæ  
necdum satis factum esset, uti Gothiam  
quoque ab eo impetraret, ipse illuc profi-  
ciscitur: &, promissis quàm amplissimis  
cum nequicquam permovere studuisset,  
itidem amicos adhibet, & navare operam  
jubeat. Sed Ivarus, quem Finlandiâ jam ex-  
tortâ offendisset, uti Gothiam quoque tra-  
deret, nullo modo adduci potuit. quippe  
animo reputabat, contra quam rex, pro-  
ceresve, expectarant, se in verba Chri-  
stiani, cum primatibus regni Sueciæ, jura-  
visse; ac, post mortem Olai fratris, pigno-  
ri illam ab eodem accepisse: tum in filium  
Ioannem, regem Sueciæ cooptandum,  
consensisse. Quem affectum confirmante  
insuper Stenonis odio, mox Stocholmi,

in conventu regni procerum, cum nonnul-  
lis, quorum animos in Ioannem propende-  
re exploratum ipsi erat, id enixè agitabat;  
ut, Stenonem ab affectato temerè regno  
submoventes, fidem, quam Ioanni obstrin-  
xerant, semel tandem liberarent. Et hoc  
quidem tantâ sanè vehementiâ conabatur,  
ut verborum libertate cum Stenonem,  
tum fautores ejus omnes, graviter exaspe-  
raret; Steno etiam, ut reprimeret adver-  
sarium, latrocinia objectaret, quæ in Gal-  
los, atque Anglos, pridem is exercuisset:  
quâ re illud effecisset, ut, quæ illis damna  
dederat, ea incolis regni Sueciæ universis  
rursum expectanda essent. Ac profectò  
isto crimine adedò certè eum pressit, ut pe-  
riculum non exiguum compararet. Quan-  
quam neque ille cederet, atque palàm mi-  
naretur, nisi aliter porro secum agere vel-  
let, novos brevi se in Sueciam hospites in-  
troduciturum, nempe Russos. Tandem,  
post sat longam altercationem, amicorum  
interventu, inter se conciliati: ac Stenoni  
regni Sueciæ gubernatio, idque Ivaro as-  
sentiente, iterum permissa fuit. Quæ cum  
ita gesta essent, Steno, nil Ivaro fidens, li-  
cet reconciliato, in proposito de cogendâ  
in potestatem suam Gothiâ perseverans,  
cum Calmarniam, magno suæ factionis co-  
mitatu, excurrisset, eum ex Oelandiâ insu-  
lâ, quam & ipsam obtinebat, ad se vocat.  
Verum postquam, aliquamdiu expecta-  
tus, non veniret, in Oelandiam trajiciens,  
missò nuntio, adventum indicat, & collo-  
quium ejus postulat. Cumque ille etiam tum  
cunctaretur, generum suum, Aruidum  
Trollium, & Ioannem Achonis, mittit:  
qui persuadeant, ne colloquium detrecta-  
ret. Istis quoque operæ irritis, arcem cin-  
git; præcipitque, ita arctè obsidere, ne e-  
vaderet: poenam etiam minatus, si elabi-  
paterentur. Verum frustra cautio fuit; &  
Ivarus, cum præsidium ordinasset, nocte  
proximâ clanculum ingressus scapham,  
Gothiâ petiit. Quæ in Daniam postquam  
nuntiata essent, anxium habuere regem,  
ne Ivarus, ut Finlandiâ pridem cesserat,  
nunc eadem imprudentiâ Gothiam trade-  
ret. Etenim sic statuebat; si hanc insulam,  
quam à Valdemari III tempore Dani pos-  
sedissent, etsi semel ab Alberto Sueciæ  
rege occupatam, interverti pateretur, non  
duntaxat

duntaxat regni illud detrimentum, verum  
 etiam ignominiam suam fore. Itaque, re in  
 senatu agitata, placuit, non tantum Ivaro  
 eam praefecturam adimere, sed & Suecis,  
 ni promissum exhiberent, bellum inferre.  
 Quo decreto, statim rex delectum agere,  
 & classem navium quadraginta expedire;  
 copias in Gothiam suas, sub Erico Otho-  
 nio duce, transmissurus. Hujus rei post-  
 quam nuntium proceres Sueciae accepif-  
 sent, metuentes ne, praetextu insulae ejus  
 vindicandae, rex in ipsos vires universas  
 duceret, & opprimeret imparatos, ut pro-  
 cellam imminuentem evitarent, praeventen-  
 dum censuerunt. itaque cum convenissent,  
 visum pluribus; *ut Ioannes, juxta acta Halm-  
 stadiana, & in Sueciam vocaretur, & habenas  
 regni acciperet: alii contra contendebant,  
 minime committendum esse, ut, quantumvis re-  
 bus asperis, se desererent: aut extraneum potius  
 sibi, quam indigenam, regem caperent.* ac sen-  
 tentia horum obtinuit. Mox, in Gothiam  
 cum Ioannes appulisset, Ivarus, five fidei  
 memor, five odio in Stenonem, ultrò por-  
 tas venienti referare; vel, ut alii sunt au-  
 ctiores, expectantem ad Drachoram re-  
 gem adire: insulamque ei suam, & arcem,  
 tradere. Quam receptam, & praesidio confir-  
 matam, ac praefecto novo imposto, Ioanne  
 Holgero; cum Stenonem Boringholmum,  
 insulae Oelandiae arcem, obsidere, & ob-  
 fessos graviter premere, intelligeret, ocyus  
 opem ferre statuit. Cumque illuc appulif-  
 set, consilii incerti obsessores, ad Steno-  
 nem, tunc Calmarniae commorantem, &  
 eventum expectantem, literas mittunt:  
 ac, quid facere ipsos velit, utrum porro  
 urgere obsidionem jubeat, an omittere,  
 sciscitantur. Verum ille, ubi regem, cum in-  
 genti adeo belli instrumento, copiisque,  
 advenisse intellexit, non jam rebus suis fi-  
 dens, per legatos eum rogat; *ut colloquio  
 diem, & locum, constitueret: se paratum jussa  
 facere, neque etiam dubitare, quin magnatibus  
 regni ceteris idem omnino facile sit persuasur-  
 us, si venire in conspectum, atque coram verba  
 facere patiatur.* quod Ioannes postquam ipsi  
 concessisset; ille, dato mox colloquio, bre-  
 viter rebellionem excusare: & *quo minus voto  
 ejus haecenus satisfactum esset, ut Calmarniae  
 convenerat, eam procerum regni culpam potius,  
 quam suam, dicere. nam regnandi legem sibi ab*

*illis dari: neque tam, quod ipse velit, quam quod  
 istis videatur, facere posse.* Inde fidem sacra-  
 mento rursus obstringit: & promittit,  
*operam se daturum esse, ut exemplum quoque su-  
 um tota Suecia imitetur.* Rex, qui rerum no-  
 vandarum cupidum Stenonem sciret, &  
 potentiam apud Suecos eminentem, uti ma-  
 gis virum sibi devinciret, controversiam in-  
 ter ipsum, & Ivarum, ei arbitrium permit-  
 tit: efficitque, ut, composito mox nego-  
 tio, Steno Oelandiae praefecturam, idque  
 Ivaro concedente, obtineret. Sed haec actu  
 a Stenone acta esse, uti regem imminen-  
 tem a proposito sibi bello dimoveret, im-  
 petumque, moram aliquam callide interjectam,  
 frangeret, postea compertum fuit. nam,  
 reverso in Daniam rege, simul loqui suis  
 datum, in contraria cuncta iivit. quippe ani-  
 mis iterum in spem libertatis, ut vocabat,  
 concitatis, rerum summam denuo deferri  
 sibi procuravit: ita totum se componens,  
 ut, cum omnibus modis clanculum regiam  
 sibi potestatem vindicare conaretur, pa-  
 lam tamen fidem in regem retinere vide-  
 retur. quod ut regi nuntiatum, scribit ad  
 senatum Sueciae, hortaturque; *ut in fide  
 perseverent, & electionem factam primum  
 Halmstadii, vivo adhuc patre suo Christiano,  
 hinc Calmarniae, eo mortuo, confirmatam, suf-  
 fragiis consentientibus, porro ratam esse velint;  
 nec perfidia tam insignis notam sibi inuri sinant:  
 simul Deum vereantur, qui perjuros graviter  
 ulcisci soleat. Famam rei, totum orbem pervasu-  
 ram: & convitio posteritatis universae obnoxios  
 fore, non se totam gentem arguere, sed paucorum  
 culpam scire: quos si ipsi comprehensos noxae de-  
 dant, aut castigent, ex officio facturos. Pace,  
 & otio, nihil sibi prius esse: atque cunctas vitae  
 suae rationes eò sese relaturum, ut tranquillam  
 eam agere, procul bello, voluisse, & regnorum  
 publicae tranquillitati ante omnia studuisse, co-  
 gnoscatur. quam tam bonam voluntatem ne tur-  
 barent, aut ereptum ipsi irent.* In hanc senten-  
 tiam multa saepius a Ioanne ad Suecos  
 scripta, verum nullo operae fructu; cum  
 Stenonis illi instinctu, rem de die in diem  
 semper protrahendo, nihil aliud conaren-  
 tur, quam suspensum ut perpetuo tene-  
 rent, & ab armis capeffendis, quae timebant  
 maximopere, submoverent. Inter haec,  
 exorta Othoniae controversia, cum, ad  
 eam componendam, operam Ioannis regis

MDCCC LXXXVIII. Olaus, abbas Soranus, implorasset, isque  
 summo regni antistiti, Ioanni Brocstorpio,  
 rem mandasset, ille, negotium subterfu-  
 giens, se ab eo excusavit, & in regem id re-  
 jecit. Sed historia ejus rei universa paullo  
 MDCCC LXXIV. altiùs repetenda est. Anno MDCCC LXXIV,  
 cum rex Christianus Romæ pietatis causâ  
 ageret, quidam è comitatu ejus, ipso igno-  
 ro, aut connivente, clam pontificem Six-  
 tum adeunt, & exponunt; esse Othoniæ,  
 in Fioniâ, monasterium S. Canuti, quod  
 Canonicis secularibus à fundatione primâ  
 propriè dicatum esset: verùm, à Canuti  
 cæde, exturbatis possessoribus, monachos  
 illud invasisse. Itaque enixè rogant, ut ex-  
 cedere eos jubeat: & antiquis, ac legiti-  
 mis, possessoribus restituere. Sixtus, qui  
 id Christiano non invito fore crederet, dat  
 diploma postulatum, quo cœnobio, per in-  
 juriam occupato, emigrare monachos ju-  
 bet: ac canonicis, quibus olim eripuerant,  
 illud reddere. Ac reversi, istud vulgant:  
 & cœnobium, olim suum, sine ullâ morâ  
 repetunt. Monachi, re inopinatâ conster-  
 nati, supplicès Dorotheam reginam pri-  
 mùm, inde ipsum regem orant, obsecrant-  
 que, ne cœnobio, à majoribus concessio,  
 ejici se tam indignè patiantur. Sed, edicto  
 potiore, quo & sacris interdictum ponti-  
 fex pronuntiabat, si quis se opponere au-  
 deret, cedere coacti, in ærumnis longè  
 maximis annos totos quatuordecim vitam  
 egere. Cum Dorothea regina, ad exem-  
 plum conjugis sui Christiani, tum defun-  
 cti, Romam etiam ipsa ire, pietatis ergò,  
 instituit: terram quoque Palæstinam adi-  
 tura, ni Sarracenorum metus à proposito  
 abduxisset. Cujus rei postquàm fama spar-  
 geretur, adeunt Soranum abbatem, &  
 Schoffensem: simul orant, quando nunc  
 occasio futura esset, per reginæ matris iter,  
 quod hæc Romam ad Pontificem adori-  
 nabat, adjuvare ordinis sui restitutionem  
 vellent. Illi, minimè à negotio alieni, cum  
 consilia inter se communicassent, Matthiæ  
 Lupo, qui reginæ à sacris erat, pecuniæ  
 summam non exiguam largiuntur, ac per-  
 suadent; ut is, siquidem reginam comita-  
 turus Romam esset, restitutionem illorum  
 apud Innocentium VIII tunc pontificem,  
 procurare ne gravetur. Ac profectò, post-  
 quam Romam advenisset, nil cunctatus,

rem exequitur. Insuper regina quoque  
 operam navat, atque preces suas jungit.  
*quanquam ante annos aliquot, à pontifice Sixto  
 IV, conjugis sui Christiani interventu, sub æter-  
 na maledictionis pœnâ edictum esset, ne Othoni-  
 ensis sedis cathedralis præsens status deinceps un-  
 quam à quocunque mutaretur: tamen se, & re-  
 gem filium, maximopere exoptare, ut in præsti-  
 tum ea statum reducat. Innocentius, non  
 iniquâ postulari à reginâ arbitratus, non  
 gravatè annuit petitioni. itaque Matthiæ  
 Lupo dat diploma, quo præceptum: ut  
 canonici, qui, instructo malè Sixto, monasteri-  
 um S. Canuti occupaverant, monachis, quos per  
 injuriam ejecissent, illud redderent: si parere re-  
 cusarent, sacris sibi omnibus interdictum scirent.*  
 Itaque, quanquam ægrè admodum, res  
 peracta: & canonici monasterio, ante an-  
 nos quatuordecim occupato, excessere,  
 MDCCC LXXXIX. postridiè Idus Decembres MDCCC LXXXIX,  
 Quæta erat & regina, quâ injuriâ à Ste-  
 none affecta esset: qui Orebroensem ar-  
 cem, propter nuptias donatam, per vim  
 ipsi eripuisset. itaque in hanc rem etiam li-  
 teras dat ad Stenonem Innocentius, qui-  
 bus mandat; *ut reginæ Orebroum sine ullâ mo-  
 râ reddat: nisi faciat, sacris secludendum fore.*  
 Has reversa statim ad Stenonem mittit:  
 qui in Russos tunc profectus, postquam  
 eas accepisset, pontificis Romani minas  
 nihili fecit. Annis aliquot post hæc per  
 MDCCC XCIV. quietem actis, rex in phrenesin delapsus,  
 simul atque ad mentem sanam rediisset,  
 cum Stenonis dolus magis atque magis  
 elucesceret, literas ad eum scribit, ac sena-  
 tum regni Sueciæ universum, postulatque:  
*semel tandem, sine verborum ambage, aut fal-  
 laciâ, testarentur; anne ea, in quæ vivo patre  
 Halmstadii, hinc Calmarniæ, inde etiam in Oe-  
 landiâ, convenissent, rata vellent.* His acce-  
 ptis, Steno regni optimates Stocholmum  
 convenire jubet: & consilio priùs cum  
 suis collato, inde aliis, in Ioannem regem  
 pronis, non tam quærit, quidnam respon-  
 dere debeat, quàm affectum singulorum  
 callidè explorat. Placuit meliori parti;  
*tandem regnum, quod jam tertium promississent,  
 idq; cum jurejurando, in Ioannem transferen-  
 dum.* Inter hos Iacobus erat, regni Sueciæ  
 summus præsul; qui tam acriter hanc sen-  
 tentiam tuebatur, ut verborum libertate  
 odium in se Stenonis concitaret: qui pa-  
 lam



lâm quidem pacis studium præ se ferre videbatur, clâm tamen, cum totâ suâ factione, hostilia omnia agitabat. neque deerant, qui sine ullâ simulatione, ac fūco, rem agentes, cum Iacobo se conjungerent: quin apertè etiam dicerent, *nisi Steno, ea quæ Ioanni dudum promississet, quamprimum impleret, à regno amovendum esse, & in ordinem cogendum.* Alii, contrariis inter se sententiis diffidentes, ad arma, more gentis suæ, provocabant. Verùm parti potiori, ita visum; *nullo modo regni Suecia coronam Ioanni denegari posse, ac conventis standum esse; sed indici iterum comitia publica oportere, quibus denuò de capitibus, ad electionem regis pertinentibus, à regnorum senatoribus primùm Halmstadii constitutis, ageretur.* Placuit etiam, ut Calmarnia, ubi secunda super hâc re comitia fuerant, convenirent. Hoc decreto, Steno, præfules, cæteri que regni proceres, quid egissent, statim nuntiant; simul petunt, ut in proximum mensem Iunium, ad xxiv diem, mittat suos, plenâ potestate instructos, & Norvagiæ senatum eodem vocet. Ac, capitibus accuratè examinatis, & consensu approbatis, liberum futurum ipsi, quancumque animum inducturus esset, se in Sueciam conferre, ad accipiendum regni diadema. Verùm postquam tempus illud immineret, iterum morbum fingens Steno, mittit nuntium Calmarniam, qui & valetudinem significaret, & absentiam excusaret. Quâ de causâ cum comitia in Novembrem proximum dilata essent, ingruente eo tempore, rex Ioannes, qui spem certam de concordia fanciendâ concepisset, mittit eò summum regni Daniæ præfulem, Ioannem Brocstorpium; Ericum Othonium; Paulum Laxmannum, aulae præfectum; Eschildum Gevæum, regni equitum tribunum; ac plures alios, plenè instructos: ipse cum octodecim navium classe paullo post subsequitur. Ac delatus Egefundam, consiliarios, in Espefundensi portu commodum tempus expectantes, ad se vocat. qui cum, uti iussi erant, convenissent, una navium regiarum, incenso pulvere tormentario, sive fulmine, sive fortè, in incerto est, conflagravit; remigesque dum restinguere ignem cupiunt, malè habiti: alii, fumo evestigio suffocati; alii, flammâ ustulati, vix per biduum vitam planè miserandam protraxe-

re: alii denique, cum in mare se præcipites dejecissent, aquis hausti, periere. Ad hoc malum, aliud accessit majus. Nocte proximè insecutâ orta valida tempestas, ita classẽ universam dissipavit, ut, quo loco quæque esset, nulla navium sat compertum sibi haberet. Ac, sedatâ tempestate, postquam classis iterum in portum suum convenisset, nulla est inventa navis, quæ non esset quàm gravissimè afflictâ. Vna, in quâ regia supellex erat, literæque, item documenta alia, quibus regi in conventu hoc maximè utendum erat, vado alibi illisa, aut submersa, nunquam postea est conspecta. Præcessere hæc signa bellum; quod mox coeptum, ob Stenonis contumaciam, in his borealibus regnis formidabiles tumultus excitavit: & civilis sanguinis utrinque plurimum effudit. Postquam verò rex Calmarniam, & regnorum Senatores, convenissent, frustra laboratum fuit. Aberat Steno, animosus, ob afflictam tempestate classẽ regiam: & conventum, quem indixerat, negligebat. Tandem, cum adventum ejus ampliùs mensem exspectassent, literas mittit, quibus nuntiat; *per se integrum regi fore, sive pacem inter regna facere velit, sive nolit. Nil se hic præscriptum cupere.* Vnde cum rex sat deprenderet, aliud omninò nil Stenonem agere, quàm ut astu coronationem suam impediret, dimissis iis, qui convenerant, retrò pedem in Daniam refert. Vbi postquam bello Suecos aggredi constituisset, ac Stenonem cum Vandalicis civitatibus ante proximum quinquennium, uti supra memoravi, foedus pepigisse sciret, ut cum alterâ tantum parte hinc negotium sibi foret, inducias triginta annorum pollicetur, si à foedere hoc recederet. Verùm Steno, qui potentia illud suæ munimentum non exiguum reputabat, cum id facere gravaretur, ne egisse nihil tamen, aut oblatam temerè conditionem tam honestam rejecisse videretur, de unius tantum anni induciis agere animum induxit: quas legati nihilominus concessere. Qui simul reversi essent, Russi, ut Ioanni regi foederato contra Suecos opem ferrent, magno agmine in Finlandiam irrumpentes, incendiis passim, cædibusque, cuncta implent: & occisis quotquot arma contra ferrent, arcem Vibur-

MDCCC  
XCV.

MDCCC  
XCVI.

Viburgensem obsident. Quam cum frustra aliquoties oppugnassent, plurimis desideratis, cum prædâ regrediuntur. Nuntiata hæc Rufforum irruptione, poenitere Stenonem coepit, quod inducias tricennales, à Ioanne pridem oblatas, rejecisset. consilio tamen pro re capto, scribit statim Lubecensibus, ut Ioannem, quantum possent, distinerent; ac, conscriptis ipse copiis, in Finlandiam magnis itineribus tendit: ubi Ruffos, frustra arce Viburgensi oppugnata, recessisse intellexit. Itaque, milite in hyberna distributo, & præsidio limitaneo constituto, pedem refert in interiorem Sueciam: cum majore mox exercitu primo vere reversurus, & acceptam cladem ulturus. Verum Ruffi, nil cunctandum sibi rati, ut Stenonem anteverterent, mense proximo Februario, magnis viribus per Careliam in Tavastiam irrumpunt; &, itinere octoginta miliarium, obvia quæque igne, atque ferro, vastant: hominumque supra septem millia cædunt. Hinc celeritate eadem, quâ advenerant, se recipiunt. Steno, cum majoribus copiis, quas interea collegerat, in Finlandiam reversus, ut jam recessisse Ruffos intellexit, relicto in eadem exercitu, duces præficit, Suantonem Nicolaium, Ericum Trollium, & Stenonem Tursonium; præcipitque, ut ibidem reditum suum expectarent: vimque, si irrueret hostis, propulsarent: si quiesceret, non inferrent. Ipse, in Sueciam profectus, copias majores cogit; sed, dum à præsidio regis circa fines distinetur, per æstatem insequentem diu à ducibus, quos reliquerat in Finlandiâ, expectatus, postquam minimè adveniret, hi, consiliis inter se communicatis, sub Augustum desinentem in Ruffos movent. quorum ubi regionem ad novam usque Narviam pergrassati essent, atque arcem Ivangradium expugnassent, ocius reducunt copias in Finlandiam; idque magnâ adeo celeritate, uti recessisse prius, quàm venisse, sit compertum. Post hæc tandem venit Steno, cum auxiliari milite; qui, quæ gesta à Suantone, cæterisque item ducibus, ut accepit, iterum in Ruffos ire cupiebat. Sed, Suantone ob hiemem jam ingruentem refragante, ideoque in Sueciam potius redeundum contendente, iræ utrinque exarsere; quæ vix procerum aliorum interventu, anno proximo, in comitiis regni publicis, mense Martio celebratis, deleniri potuere. Inter ista & Dorothea regina, Christophori primum, inde Christiani uxor, cum utroque in matrimonio pariter & viduitate annos quinquaginta unum exegisset, diem obit; ac Roschildiæ, in mariti Christiani monumento, sepelitur. Post hæc iterum monitus Steno, ut se ultro gubernatione regni abdicaret, quo & suam, & aliorum procerum, fidem liberaret, neque tunc induci potuit; ac respondit, *se non tantum à proceribus, verum etiam à plebe, principatum accepisse: nec, si maxime vellet, eum, illâ non consentiente, exuere posse.* Quin & magno equitatu, quem reliquerat in Finlandiâ, ad custodiendos fines, evocato, regnum obequitans, dignitatem se tueri certum ostendit. Adeo nempe nemo ferè imperio cuiquam unquam volens cedit: & cupiditas domnandi vix cum vitâ etiam ponitur. At Ioannes, convocato Hafniam senatu regni, filium suum Christianum, sedecim ferè annos natum, iterum regem designari ab eo curat: simul & decernit bellum, in Stenonem. Inde exercitum conscribit copiosum, è Germanis, Gallis, Anglis, & Hispanis; adiutantibus cum Alberto marchione Misnenfi, tum principibus vicinis: quibus lætum, per occasionem istam eâ hominum colluvie liberari. Nam conduxerat pridem Magnus, dux Saxonie inferioris, ut Hathleriam, ac Vorfaciam, imperata detractantes, coerceret: veriùs latronum manum, quam legitimorum militum. Hi in Sueciam auctorati, prædâ potius quàm stipendio, cum in Daniam advenissent, rex maturè expeditionem agit, auxilia foederatos poscit, Norvagosque item jubet, quàm ingentibus queant copiis, impetum in Sueciam facere, loca bello opportuna occupare, & latissimè excurrentes omnia depopulari. Ipse, classe in Calmarniam præmissâ, copias terrestres ducens, per Hallandiam in Suecorum fines tendit. Ad diem XI Kalend. Sextileis ad Calmarniam classis applicat: & Ioannes ante moenia ejus urbis castra metatur. quæ cum graviter premeretur, neque Steno opem ferret, oppidani ad regem mittunt, qui deditioem spondeant, si & vitam, & fortunas,

fortunias, sint illæfas habituri. Quæ rex postquam promississet, quanquam essent, qui contrarium suaderent, mox primores civitatis ad se vocat: & accepto juramento, universis dat præteritorum veniam. Inde, effusâ civium magnâ multitudine, præeunte sacro ordine, introductus, cum res urbis ordinasset, validum præsidium in arce locat. Quibus ad Calmarniam gestis, qui præfecti classi erant, in Oelandiam navigantes, arcem Boringholmum capiunt, & præsidio eam firmant. Cujus rei cum rex nuntium accepisset, prospero successu letus, jubet suos loca proxima, quæ deseruissent incolæ, devastare, ut ad veniam postulandam citius cæteri cogèrentur. Inde ulterius progressus, nullum ipse populandi finem facit, antequam egressi silvas suas Sueci, in quas metu se abdiderant, veniam rebellionis diuturnæ precarentur. Id cum in interiorem Sueciam perlatum esset, consternati metu incolæ ad Stenonem se recipiunt; obsecrantque, ut consuleret vitæ, ac fortunis, omnium; seque populi consensu rerum summam, publicæ salutis causâ, quam ne temerè suâ nunc ambitione pessum daret, consecutum meminisset. Per id tempus is Iacobum, antistitem Vpsaliensem, quod Ioanni clam favere cognovisset, obsidebat. Verum ille, de consilio Stenonis certior factus, arcem Stegam in eventum qualemcunque comæatu, & præsidio, communierat. Erat & cum eo Suanto, vir supremæ auctoritatis, qui & ipse regi addictus, illuc cum plerisque aliis se receperat. Quæ rex postquam accepisset, ut periculo homines sui studiosos liberaret, fert auxilium laborantibus. Iam obsessi in necessitatem hanc adducti erant, ut non ultra sustinere hostem possent: verum Steno, qui advenientem regem exspectare non auderet, deserens obsidionem, motis properanter castris, copias Stocholmum transfert. Inter hæc Norvagi, ut iussi, magnâ manu in Suecorum fines ruunt; & Elsburgum, arcem permunitam, obsident: ac post multam arduamque oppugnationem capiunt: simul totam eam oram ad deditionem cogunt. Rex, tam prosperâ rerum famâ incitatus, ne Stenoni spatium recolligendi sui daret, cum exercitu universo magnis itineribus Stocholmum petit, urbem regni maximam, & munitissimam; atque in Brunchonis monte, ubi ante annos aliquot pater ejus Christianus, castra locat: alteram verò urbis partem, mari cinctam, clausè obsidet. Atque ita terrâ pariter marique acriter obsessos premit, velites subinde immittens, ut Stenonem, intra moenia latitantem, ad conferendam manum eliceret. Verum ille, imparem se pugnae gnarus, clam ad Dalecarlos mittit, inter Suecos gloriâ fortitudinis primos: edocetque, quo nunc patria in discrimine versaretur. Exaggerat potentiam hostis, & ferociam; qui in illud totis viribus incumbat, uti regno occupato, omnes incolas servituti manciparet. Unam tantum superesse civitatem, quæ excludere ausa fuerit: hæc si etiam potiatur, de communi libertate actum esse. Planè unam hujus sortem, atque regni universi: quod consistere, hæc cadente, minimè possit. Itaque publicam libertatem in virtute suâ sitam cogitarent; ac venirent, quantum possent multitudine, & in castra impetum facerent: urbe se ab alterâ parte egressurum, & in terga repugnantium invasurum. Neque dubium habere; quin, fortunâ paullum modo adspirante; quæ audentes ferè adjurare soleat, aut, direptis hostium castris, eos omnes planè sint profligaturi; aut ita fracturi saltem, ut continuando bello post id tempus vires non sint suffectura. Quibus verbis facile gente bellicosâ excitatâ, statim regi nuntiatur, esse eam in procinctu. Itaque sine ullâ morâ convocatis belli ducibus, rem exponit: neque consultum videri, ut exspectent, donec illi advenirent, & à fronte ac tergo pariter, arduo & ancipiti loco, dimicandum sibi foret; minore negotio separatim adhuc hostem vinci posse. Quâ de causâ, in periculo tam præsentî, ne se ipsi destituerent, sed virtutem animi solitam adhiberent. Placuit ergo, Dalecarlis, antequam ad castra veniant, totis copiis obviam ire: quibus cæsis, aut fugatis, mox victoria in proclivi sit futura. Ac cum staret hæc sententia, copiosiore coenâ se reficere militem jubet: atque ad iter, sine strepitu ineundum, simul ac daretur signum, apparere. Ipse, rebus pro arbitrio ordinatis, præmittit equites, imperatque, ut se paullum extra castra præstolentur. Mox silentio, ne, quid ageret, persentiscere hostes possent, cum peditibus subsequutus, se conjungit: ac diluculo, quâ venturos esse Dalecarlos noverat, se obvertit. Vix illuxerat,

rat,

rat, cum ab iis, quos præmiserat speculatum, nuntiatur, in propinquo hostem esse. Ita que subsistens paullum, alacer suos cohortatur, *ut virtutis meminisse antiquæ velint. quippe advenisse tempus, quo, si fortiter præliantur, bello, alias diuturno, ac gravissimo, paucis horis finem imponant.* Inde hostem rectà ducens, ad Rodensem pontem occurrit. Acre prælium committitur. Magno Dani impetu in hostem eunt; nec minore cum virtute Dalicarli se tuentur. Tela verò, quæ Schitas linguâ patriâ appellant, non directè, verum in sublime mittunt, ut in præliantem hostem desuper cadant. Quibus fauciat Dani, prælio excedere cogebantur: aut trajecti, in ipsâ acie concidebant. Nihil autem illis ad virtutem deerat, præter solum equitatum; quem si item habuissent, certè dubiam victoriam Danis facere potuissent: quorum equi, nuda latera invadentes, postquam dissipassent ordines, totam aciem profligarent. Edita strages ingens fuit; adeoque cæsi ferè universi: pauci fugâ evasere. Dani, nullâ ex occisis prædâ captâ, statim à pugnâ in castra sua revertuntur, signa hostium præferentes. Quæ cum inde erexissent, idque Steno è speculatoribus accepisset, ratus, Danis profligatis, Dalecarlos, quos auxilium allaturos exspectabat, castra eorum occupasse, ocyus effusus urbe, neque acie ordinatâ, tanquam ad amicos properat. Sed, cum propius accessisset, contra atque existimabat, hostes esse est expertus. Quippe Dani, quanquam adhuc à recenti pugnâ fessi, in turbatos, ac percussos, impetum faciunt: eos fugant, & ad ipsam urbis portam persequuntur. Multos inter fugam cædunt; multos & præcipientes in mare agunt, & in his Stenonem ipsum: qui, nisi navicularius à periculo tam præsentis liberasset, cum quamplurimis suorum suffocatus periisset. Ut victoriæ, ad Rodensem pontem partæ, fama increbuit; Sueci, qui Stenonis partes hæctenus secuti erant, ultrò regem accessere: & rebellionis crimen deprecati, sua omnia, seque ipsos, ei in manum tradidere. Quæ iu urbem postquam nuntiata essent, Steno, tot jam cladibus fractus, ac cogentibus, qui in urbe secum erant, nuntium ad regem mittit, & colloquio locum pe-

tit. Rex, quantumvis fame se redigere in potestatem suam posse civitatem sciret, tamen facilem se præbet, nuntiumque dicere Stenoni jubet; *longè sibi gratius futurum fuisse, si hanc mentem ante effusum utrinque sanguinem habuisset: nihilominus, quo testatum cunctis faceret, se hoc bellum suscepisse, non ut perditum iret subditos, sed servaret, indulgere, ut extra urbem fide publicâ ad se veniat.* Cum venisset, accusare rex Stenonem; *quod, neglecto juramento, non necessitate actus, sed libidine dominandi, se, suosque, in discrimen longè maximum adduxisset.* Steno, sese excusare; *neque suam culpam esse, sed suorum: qui invitum ad id bellum impulissent.* Inde alia querelæ, de utrinque dato damno: ac decretum denique fuit, ut post triduum in S. Claræ monasterio, propè urbem, convenirent. Vbi postquam de conditionibus pacis denuò agitatum esset, tandem Steno, proceresque, qui cum eo illic aderant, se, ac sua universa, urbem item, & jura regni, regi tradunt. Postero die, portas pandunt; & effusi urbe omnes, regi obviam ivere. Antecedere sacer ordo: ac plerique cereos accensos ferre. Cumque regem excepissent faustâ acclamatione, ac tubarum, & Campani æris, sonitu, primum in templum introducunt: ibique sacrâ reperactâ, mox in arcem comitantur. In quâ postquam confedisset, Steno, ad genua provolutus, coram regni utriusque senatoribus, jus castrense, quod appellant, illi tradit. Quo accepto, surgere iussum, rex hortatur, ut deinceps fidem servet: quæque in id usque tempus admisisset, clementissimè condonat. Tum &, ut securè porrò vivere inter suos posset, quos gravissimè in administratione regni offenderat, decreto fancit, ne cuiquam rationem gesti principatus reddere teneretur. Hæc Octobri mense gesta. Mox Novembri, ad x x v. diem, ordinibus Sueciæ universis evocatis, à Iacobo, summo ejus regni præfule, regium diadema accipit: cunctis pro se, ac posteritate suâ, in verba regis iurandum exhibentibus. Quæ cum ita acta essent, rex convivio splendidissimo Suecos proceres excepit; diesque aliquot festos egit, variis ludis, ac spectaculis: idque impensè operam dedit, ne omninò quid omitteret, quod ad oblectandos eos, aut con-

conciliandos sibi, pertinere existimaret. Post hæc, cum primates Sueciæ urbe discessuri essent, ajunt regem, more sibi usitato, à cibo sumpto cum familiaribus suis colloquentem, quæ siviisse; ecquid Sueci satis dignè, ac magnificè, habiti esse viderentur: & convivio anne quicquam defuisse judicarent. Vbi cunctis conticentibus, aliquem, Germanum gente, regi magis cæteris familiarem, ob navatam eo bello insignem operam, respondisse: *Vnum quidem, rex, si pateris, ego defuisse censeo.* Cumque rex interrogaret, *hoc quid esset: nempe,* ajebat, *postquam omnes quàm lautissimè excepisti, spiculatorem advocasse te oportuit, qui in veste holosericâ, humi stratâ, eos gladio feriret; ut, perfidiâ suâ dignam pœnam nacti, ceteros exemplo terreant, ne deinceps datam regi suam fidem violare unquam ausint.* Quo responso rex obstupefactus planè, dejectisque in terram oculis, cum conticuisset paullum, mox, attollens rursus oculos, hominemque torvè intuitus; *ego verò malim,* inquit, *tecum hoc consilio tuo, tam immani, hinc ad corvos relegari: quàm ut ego tanto scelere innocentiam meam fœdem; aut hoc regnum, liberâ electione mihi debitum, detestandâ adeò crudelitate partum, aut firmatum, eam.* Cum hoc dicto, sede surgens in conclave se recepit: neque eum ex illo tempore ullâ gratiâ est dignatus. Vox egregia, & præclaro adeò rege certè digna! sed indignus Steno erat, toties perfidus, cum quo eâ lenitate ageretur. Initio anni, Daniam repetit; eoque per quietem actò, redit proximo in Sueciam, cum uxore, filioque Christiano: quem Stocholmi, in conventu regni publico, tertio die Pentecostes, à proceribus regem nominari petiit. Quod & sine exceptione omnium consensu factum; tradito, pro more veteri, regio planè apparatu, regni Sueciæ vexillo. Nec id tantum; verùm & Christina conjux Sueciæ regina dicta: & coronâ, regni insigni, exornata. Quin & publicæ in rem eam literæ datæ; à Iacobo, præfule Vpsaliensi, & Stenone: quibus hanc electionem Christiani omnium consensu ordinum, & consilio etiam deliberato, factam esse testarentur: insuper pollicerentur, se inviolatam eam in perpetuum habituros. His peractis, rex Ioannes, constitutis qui in Sueciâ suo no-

mine summam rem administrarent, mox in Daniam revertitur, ac Stenonem secum abducit. Quem, ut sibi devinciret, & fidelem deinceps redderet, muneribus & multis afficit, & præclaris: inde in Sueciam remittit. Sed profectò, apud animum, ad malitiam obstinatum, idem valent beneficia, quod injuriæ; & irritant, non obstringunt: planè ut nonnulli morbi per remedia asperantur. Ita Steno, nihilo in regem æquior, qui tot cum beneficiis ad præstandam sibi fidem, mutuumque item affectum exhibendum, obstrinxisset, cum reversus domum esset, vetera in ipsum odia præ se tulit: adeò se pridem victum, ac dejectum de fastigio, quod invaserat, ægrè ferens, ut ad belli, infelicitè à se gestum, mentionem indignabundus barbam velleret, ac vix lacrymas contineret. Ioannes, sumptis semel armis, & bellare, & vincere, suctus, coepit bellum in Dithmarfos agitare: quod Dorothea regina, ejus mater, fœmina virilis animi, pariterque pacis studio, & prudentiâ, antecellens, donec viveret, omni curâ impedierat. Ac nonnulli è proceribus animum ejus, velut certâ spe victoriæ, accendebant: malo admodum consilio. & Ioannes, quod aggreditur imprudenter, uti ferè usu venit, multò infeliciùs gerit: ac, translata aliò arma postquam minus bene occupat, dat Stenoni, quam captabat, rebellandi occasionem. Verùm prudens rerum princeps, quis hostem debellatum, & imprimis, propter fluxam ante fidem, meritò suspectum etiam, continere in officio deinceps volet, nunquam illi metum eripiet: sed parata ad formidinem arma habebit, quæ ostendet è propinquo. Belli autem, de quo dixi, capessendi, illa ei causa erat. Donârat patri Christiano, Româ pietatis ergò invisenti, ut in ejus rebus antè memoravi, Fridericus Imperator, nominis illius tertius, istam terram nulli domino subjectam; sed ecclesiæ Bremensis, si quandoque urgeretur, dominatum prætendentem: & à multis antè seculis Daniæ regibus, quibus subdita olim fuerat, rebellantem. Ac domare is statuerat: verùm, isthæc cogitantem, mors inhibuit. Itaque non negligendam imperii amplificandi occasionem adeò justam arbitratus, re cum fratre Frederico,

C10 cccc  
XCIX.

Holfatiæ ducē, communicata, ni submitterent se Dithmarfi, vi subicere sibi statuit. Sed prius, quàm id incipiat, per legatos ad obsequium blandè invitat. Quo constanter denegato, quanquam essent, qui, tranquillitati publicæ consulentes, exhibendum id suaderent, mox denuntiat: *quando principem recusarent, hostem sese habituros.* Inde, initio Februarii, arma infert, sibi admodum funesta, & ingloria; fratrem suum Fridericum secum trahens, & lectissimam juventutem, è regnis suis, ac Germaniâ circumjectâ: quâ non ita pridem Sueciam debellaverat. Ad vicum Hammam, in confinibus Dithmarforum, aliquamdiu commoratus, copias auxiliares exspectavit: ut nimirum, ostenso belli apparatu, hostibus terrorem incuteret. Et profectò, postquàm copiæ exspectatæ advenissent, tantæ omnibus videbantur, ut Dithmarfos, rebus suis diffidentes, arma statim abjecturos, atque pacem petituros, nemo non persuasum haberet. Neque dubitari poterat, quin futurum hoc fuisset, si ad manum conferendam ordinatè itum esset. Sed, quæ res victorias ferè maximè impedire solet, nimius contemptus hostium, causa exitii Danis fuit. Etenim, cum ad exiguam terram illam, vix in septem miliarium longitudinem excurrentem, atque fossis intercisam, Sueciæ vastissimum regnum, montibusque editissimis, & paludibus atque lacubus profundissimis, invivium penè, & inaccessible, compararent; facile se, & suorum nullâ clade, subjugare eam posse existimabant. Quin, victoriam sibi certam promittentes, antequàm vicissent hostem, spolia distribuebant; neque illud, quod potissimum debuissent, apud animum reputabant; Martem belli partibus communem esse, & eventum nusquam minus respondere. Multi è nobilitate, non induti ullis armis, verùm aureis monilibus exornati, ac si non ad pugnam irent, sed aut epulum, aut opima sine prælio spolia reportaturi, prædabundi incedebant: ac plerique, ad manubias è devicto hoste domum avehendas, currus suos adducebant. Etiam pars magna civium, ac volonum, qui ad bellum hoc prædæ studio ultro venerant, cum pecuniæ vim ingentem, tum sigilla afferebant: ut, quæcun-

C10 10.

que vili pretio, quod in talibus usitatum, coemissent, eorum omnium emptionem literis statim, ac sigillis, confirmarent. Adcoque opes sibi quisque amplas proponebat: sed pericula, & incertos belli casus, nemo animo perpendebat. Quin complures regni proceres, avaritiâ, & ambitione, cœci, huc amentiae devenerant, ut, priusquam in militiam istam proficiscerentur, sacerdotia regni quæque opimiora, quæ mox, hostibus profligatis, ut ajebant, domum reduces invasuri ipsi essent, inter sese partirentur. Et jam, nullâ verecundiâ, se abbatum, aliisque dignitatum ecclesiasticarum titulis salutabant. Verùm homines vecordes, ubi prædam expectabant, ibi vitam pars eorum non exigua amisere: ut non inconcinnè postea dictum fuerit, nullo prælio tantum abbatum, capitumque sacrorum, cecidisse, quantum hoc Dithmarfensi. Insuper primates quoque, qui in castris regis erant, dissidebant. Nam quibusdam, displicere nimia cupiditas regis; arbitrantes, si eventus ejus votis in Dithmarfiâ, ut in Sueciâ, respondisset, ne sic quidem finem armis positurum ipsum esse: & iturum in Vandalias civitates. Atque novis hinc molestiis, & periculis, exsurgentibus, post ærumnas belli plurimas, & labores exantlatos, nunquam sese ad quietem perventuros metuebant. Alii, quos bello Suecico, per rigorem disciplinæ militaris, sive re quâcunque aliâ, offendisset, occulto in ipsum odio, sublatum è medio, perditumque, cupiebant: idque ita clandestinè, ut insidias, nisi puer indicasset, vix deprehensurus fuerit. Et Danorum quidem exercitus, hunc in modum se habebat: at Dithmarfis, pro fortunâ animus, & cura, erant. Reputabant, imminere sibi hostem, trium regnorum potentem; perpendebant molem belli, & periculi magnitudinem: paucis sibi cum quamplurimis dimicandum. Cuncta secum agitabant. atque circumspiciebant, ne omninè quid negligenter, quod curatum oporteret. Denique & consultabant, quomodo hosti, etiam tum à devictis pridem Suecis insolenti, se opponerent. itaque, versato in omnes partes animo, visum fuit; ut nec oppido Meldorpio, non ab arte, neque à naturâ loci, sat munito, se includerent; neu

neu

neu cum hoste æquo loco pugnam ini-  
rent; sed, desertis locis aridis, ad Holsa-  
tiam objacentibus, quando planè equita-  
tum nullum haberent, cum conjugibus, li-  
berisque; in interiora loca, quæ paludibus,  
atque fossis, æstuariis, & aggeribus, tutio-  
ra; vel in Butzam item insulam, quam re-  
ciprocatio maris ambientis muniebat, se  
reciperent; ac tormenta, commeatum,  
quæque alia belli instrumenta essent, huc  
conferrent. Etenim Dithmarfia tota op-  
pidum munitum in se nullum habet: sed,  
depressiore solo, eoque molli, ob vicini  
maris æstum, æstuariis, & aggeribus, exun-  
dationi objectis, atque fossis, & paludibus,  
intercisa, satis undique munita est: inco-  
læque, si quis bello eos petat, patefactis  
derepentè emissariis, agros omnes aquis  
implent: ut immensi stagni speciem, quo-  
quoversum circumspicias, terra interior  
universa, aquis supra eam exstantibus, præ-  
se ferat. Inde fit, ut peregrini, viæ ignari,  
ac regionis, inundatione factâ, aut hæere  
uno in loco compellantur, aut, si moveant,  
in occultas passim fossas se præcipitent.  
Incolæ verò, longo usu viam etiam laten-  
tem cognoscentes, longis contis, in hunc  
usum comparatis, facile fossas transmit-  
tentes, impetum in hostem faciunt, non  
minore agilitate, quàm si in planitie aliquâ  
dimicarent: ac celeritate eadem, quoties  
opus est, resiliunt. Quibus rebus nil deter-  
ritus à proposito rex Ioannes, ubi, copiis  
contrahendis, uti dictum, se ad Hammam  
aliquamdiu ostendisset, ac moturum illas  
esse simulasset; à Dithmarfis, qui sub eo  
militabant, per latentem in aquis viam in  
vicum Winterbergum ductus, ipsis Idibus  
Februarii, quosdam illic nuptias celebra-  
ntes opprimit: quibus cæsis, aut fugatis,  
mox Meldorpium progreditur, & non dif-  
ficulter capit. Vnde qui profugiebant, per-  
dita cuncta divulgabant. Et hæc fama  
quàm celerrimè adeò dispersa fuit, ut po-  
stridiè per Vandalias, ac vicinas, nationes  
planè ita evenisse crederetur: & Dithmar-  
fi, tanquam in summâ desperatione rerum  
constituti, pars in Butzam fugiendum, pars  
deditionem esse faciendam existimarent:  
& equitatum, quem exiguum in Germania  
conscripterant, nulli amplius externo con-  
fidentes, procul agmine removerent: om-

nes verò adeò consternati essent, ut quid  
agerent, aut quid caperent consilii, incer-  
tum haberent. Quòd si rex diutiùs se ali-  
quanto in oppido continuisset, credeba-  
tur, ultro hostem, abjectis armis, pacem  
petitulum fuisse. Sed, resecto illic milite,  
mittit, qui, quo loco hostes confedissent,  
ac consilii quid cepissent, explorarent.  
Quibus partim interfectis, partim, qui re-  
versi erant, nuntiantibus quæ acceperant,  
ipse ad diem xvii Februarii, relicto in op-  
pido præsidio, infelici valdè auspicio ca-  
stra movet. Erant, qui id dissuaderet; sive  
quòd is dies vulgò in nefastis haberetur,  
ideoque ad rem prosperè gerendam inau-  
spicatus videretur: sive quòd, mutato de-  
repente aere, gelu, quo constricta terra,  
jam remitteret: atque viam pugnaturis  
non duntaxat impeditam, sed & lubricam,  
adeoque inequitabilem penè fecerat. Quâ  
de causâ hortabantur, *ut differre pugnam  
vellet: quæ cum anceps admodum futura esset,  
morâ aliquot dierum, sine suorum discrimine,  
debellatum hostem iri.* Sed tribuni prætoriani,  
quibus plurimum, ob præclaram Sue-  
cico pridem bello operam, tribuebat, in  
contrarium propendebant; ac dicebant  
uno ore, *rerum benè gerendarum tam præsen-  
tem occasionem minimè negligendam esse: cete-  
roquin mox futurum, uti gelu paullo magis remit-  
tente, glacieque infirmatâ, aut solutâ, ac per id  
ereptâ hostes invadendi facultate, domum inglo-  
rii redire, nullo opera sua pretio, cogerentur.* Ita-  
que, consilio horum collaudato, iterum  
rex exploratum quosdam mittit; quos  
Dithmarfi interceptos cædunt omnes,  
præter unum, gente Frisium: hunc serva-  
tum indicare sibi cogunt, quam viâ regii  
venturi essent. Ex quo postquam compe-  
rissent, Hemingstadium destinari, viam  
impeditam valdè, & angustam, nocte pu-  
gnam præcedente properè effossâ terrâ,  
aggere, ac fossâ, muniunt: & præsidii item  
aliquantum apponunt. Tum vicinis quo-  
que locis, atque hosti oportunis, quia fi-  
dem exploratori non omninò adhiben-  
dam existimabant, idem faciunt. Quarum  
rerum rex ignarus, infelici planè die, cælo  
nebuloso, ac turbido, copias in hostem  
ducit. Ante, ibant milites prætoriani; cra-  
tes, ad tegendas fossas, pluteosque, præ-  
ferentes: illos, reliquos peditatus; istum,

equites sequēbantur. Hinc impedimenta  
 erant. Tormentorum una pars , à fronte  
 trahi : altera , à tergo sequi. In hunc mo-  
 dum, per angustam sanè viam, & utrinque  
 fossà septam, rectà in hostem tendebatur.  
 Ac , cum jam prætoriani aliquatenus pro-  
 cessissent , & periculum jam sequentibus  
 evasisse viderentur , equitatus , conferto  
 ob angustiam agmine , ocyùs vestigia pre-  
 mit; nullum hìc discrimen ratus, ubi copiae  
 pedestres sine negotio transiissent. cum-  
 que ad mediam usque viam pervenisset ,  
 ponè sarcinis, & tormentis , ita interclusus  
 erat , ut , si isthoc usus foret , sine incom-  
 modo evidenti retrocedere non posset.  
 Hìc Dithmarsii, qui se hætenus ante aggerem  
 continuerant, cum viderent, hostem,  
 loci iniquitate circumventum , non se ex-  
 pedire posse , primùm excussis tormentis,  
 tela in eum jaculantur. Ac initio, aliquam-  
 diu eminus pugnatum fuit ; mox, cum lar-  
 gus imber caderet , mixtus grandine, ma-  
 descentibus tormentis, nec incendi jam fa-  
 cilibus, cominus pugnari cœptum. Et Dith-  
 marsii, effusi aggere , in viæ exitu Danis se  
 objiciebant , ne prodire in apertum cam-  
 pum possent, atque illic copias suas expli-  
 care : ausi & in primos ordines impetum  
 facere, ad tormenta , si perumperent , e-  
 vertenda. Dani contra , quanquam repen-  
 tino insultu , & iniquitate loci premeren-  
 tur, tamen summâ vi anniti, uti, propulsa-  
 to hoste, ex angusto illo loco in planitiem  
 adjacentem pervenirent ; velut , eâ occu-  
 patâ, magis facilem, ac periculosam minus,  
 dimicationem essent habituri. Itaque for-  
 titer pedes facere ; & acuere virtutem ,  
 cum periculi magnitudo , tum iniquitas  
 item loci : è quo neque sibi exire , neque  
 equiti liceret , nisi per submotum hostem  
 ferro viam aperiret. Verùm tamen, quan-  
 quam per subjectos pluteos viæ partem  
 difficiliorem exegerant , neque longo in-  
 tervallo à planitiæ arcebantur : nihilomi-  
 nus adèd arctus locus erat , ut nec aciem  
 explicare , neque commodè præliari , nec  
 procurrare in hostem, propter aggerem  
 oppositum , neque locum equitatus dare  
 possent. Quâ re admodum impediti, capto  
 in arenâ consilio, extenso, quantum angu-  
 stia loci permittebat, in utramque partem  
 agmine, includere hostem, & in aggerem

impetum facere, incoepere. Sed Dithmar-  
 si, ocyùs inductis copiis universis , acres in  
 adversos ruunt ; nec minore Dani animo  
 vim excipiunt : & , fortissimè dimicantes,  
 semel iterumque hostem propulsatum in  
 fugam vertunt. Qui recolligens tamen se-  
 se, rursus eos in angustias, quas evaserant,  
 retrò agit. Dani, luto & pluviâ madidi, fri-  
 gore insuper obrigebant ; at Dithmarsii,  
 mirâ agilitate corporum, quam in interse-  
 ctâ fossis regione longo usu comparave-  
 rant, contis, in hoc apparatus, huc & illuc  
 circumlati, faucios in circumjectam fos-  
 sam egere : inde , eâdem agilitate retro-  
 gressi, quoties opus, tela Danica quàm fa-  
 cillimè vitavere : Danis contra , arcto in  
 loco condensatis , & in luto crurum tenuis  
 obhærentibus, non tam facilè Dithmarso-  
 rum item tela declinantibus. Quibus fau-  
 cii , neque acie excedere, neque in locum  
 tutiorem efferri poterant. Ad hæc mala,  
 ventus quoque accedebat: qui contrarius,  
 & vapore, fumo, pluviaque mistus, ita ora  
 oculosque infestabat , ut prospicere nihil  
 possent. His incommodis , & vulneribus,  
 impediti, multis etiam interfectis, & in fos-  
 sas præcipitatis , tamen diu resistentes, nil  
 virtute suâ indignum committebant. à  
 fronte enim, occisorum cadaveribus; à ter-  
 go, impedimentis septi : quæ , in latus per  
 tumultum pugnae obversa , retrò cedere  
 cupientibus valli instar obstitere: & inclu-  
 so equitatus nulla neque dimicandi, neque  
 se recipiendi, copia erat. Insuper, ab utro-  
 que latere fossâ cinctus , neutram in par-  
 tem commovere sese poterat. Hinc exor-  
 tâ primùm trepidatione , mox consilium,  
 animumque, perdidere. Et, incerti quo se  
 vertant , dum periculum plerique devita-  
 re incautè volunt, partim in fossas provol-  
 vuntur ; partim , necdum stricto ferro , in  
 angustia à commilitonibus suis obterun-  
 tur : & inglorii , sine specimine fortitudi-  
 nis ullo cadunt. Quo prætoriani territi,  
 primi omnium fugam capiunt. Ac cum re-  
 liquus peditatus his succederet, atque ho-  
 sti se objiceret , immittentibus undique  
 Dithmarsis tela, clamor ingens, strepitus-  
 que formidabilis , excitatur : & sollicitum  
 illud maximè quemque habet , quo se pa-  
 cto extricare ex angustis istis possit. Co-  
 arctati in unum omnes , graviter tumul-  
 tuantur;



tuantur; fremituque, & vociferatione, tum equorum quoque hinnitu, plena omnia. Quibus rebus magis animosus hostis, vehementius connisus, undique circumventos premit; ac prostrato peditatu, acriter in equitatum, qui victoriam solus adhuc morabatur, statim invadit: missis etiam, qui, apertis emissariis, aquam immitterent. Quâ re factum, ut, tellure aquis undique ingruentibus coopertâ, scrobium discrimen omne, ac fossarum, antea conspicuum satis, brevi temporis momento tolleretur. Inde equi, densis telis impetiti, quasi in furorem acti, & excutere fessores, & in pedites incurfare. Post hæc summa trepidatio tota castra occupavit: neque Dani ullâ amplius spe victoriæ tenebantur, qui impedimenta aggressi, ea evertere; & quâ venerant viâ, evadere nitebantur. Quod dum strenuè moliuntur, milites, quos rex Meldorpii in præsidio esse jusserat, subvenisse laborantibus, exitumque aperuisse interclusis memorantur. Eoque facto, omnibus in fugam effusis, plurimi, in illâ obtriti, integri occubuerunt: multi etiam, à Dithmaris persequentibus interfecti. Ac tam magna strages fuit, ut per fossas, obtritorum, aut cæforum, cadaveribus oppletas, multi clade elaberentur. Dithmarsii hostem superasse non contenti, variè in profligatum etiam sæviunt; semianimes labris, naribus, auribusque amputatis, obtruncantes: ac jam cæfos repetitis sæpè ictibus confodientes. Denique vix sepulturam, & hanc tantum peditatui, largiuntur: in equites asperiores, ultimum iis pietatis hoc officium non concedunt. Numerus interfectorum, ignoratur; aliique, alium tradunt: at plerique, ad quatuor millia cecidisse sunt auctores. Inter illos, duo comites Oldenburgici; Adolphus, & Otho: ac trecenti sexaginta è nobilitate alii. Capta signa longè plurima, & tormenta universa. Rex, cum fratre Friderico, & reliquiis, in Holfatiam concessit; ubi suos, per benignâ oratione consolatus, adhortatur; *ne ingenti quanquam clade, nimium demittant animos. Neque enim hostis se virtute victos, sed iniquitate loci, ac tempestate, quam arcere, aut compescere, non humane potestatis esse scirent: & errare, qui in bello prosperos eventus semper expectarent. Certum sibi, brevi de-*

*nuò hostem cum majoribus copiis adoriri, & acceptam cladem ulcisci.* Nec ingrata, aut invalida regis hæc oratio erat: & in spem erigebantur universi, fore, ut non multò post suorum cædem vindicarent. Ac constabat illi animus; jamque novas sibi copias comparare statuebat: cum, quorundam interventu, tandem pax est constituta. Quæ obtinuit inde usque ad annos quinquaginta novem; post quos, repetito bello, Fridericus, ejus nominis II, Joannis hujus è Friderico fratre pronepos, gentem eam fregit planè, ac subjugavit: ut dicemus, cum ad illa tempora pervenierimus. At in Sueciâ iterum exortæ turbæ: & mox bellum subsequutum est. Steno enim, quem devictum pridem illic summæ rerum rex præfecerat, ut rescivit, prælio eum à Dithmaris, gente exiguâ, superatum, veluti pudore actus, quod, amisâ libertate, se, & regnum, dedere coactus esset, res moliri novas coepit: non jam ultra beneficiorum memor, quæ tam multa, atque magna, nuper adeò acceperat. Sed initio, callidè consilia celans, literas ad regem mittit, quibus orat; *ut quamprimum proficisci in Sueciam velit, per exiguo comitatu, ad levandos sumptu incolas, quando rerum necessariorum omnium caritas solito major esset: se in finibus affuturum, atque illic venientem excepturum. Nam negotia multa esse, nec exigui momenti, quæ præsentem ipsum poscerent. Agitari simultates perquam graves, inter se & optimates, ob decretum, tam benignè sibi indultum; insuper, à Russis iterum bellum Sueciæ imminere: cui quanquam pares essent, tamen hic consilio ejus opus esse.* Ac de simultatibus, sanè verum erat. Quippe Sueci, quos in principatu suo quàm gravissimè divexaverat, & in his Jacobus quoque, regni Sueciæ summus præsul, Romam miserant: qui decreti in Stenonis gratiam à rege facti, ne quis ipsum gesti antea principatus, uti dixi, reddere rationem cogeret, à pontifice antiquationem peteret. Quâ deinde impetratâ, exstitere, qui injuriarum agerent; aut, accepta damna questi, æquam horum compensationem poscerent: alii, perfidiæ eum; rursus alii, repetundarum postulabant. Ac per hæc interdum in discrimine vitæ præsentissimo constitutus, manus certè violentas nullo modo evasisset, nisi regis re-

verentia, & obsequium, tenuisset. Rex, omnino nil finistri suspicatus, ac Stenonem bonâ fide agere censens, postquam cum proceribus deliberasset, statuit primo quoque tempore, uti postulatum erat, cum exiguo comitatu se in Sueciam conferre: ne, vocatus si venire detrectaret, Sueci sibi occasionem rebellandi inde caperent. Accingit itaque se itineri, primo vere; conjugem suâ, & ministris quàm paucissimis, comitatus: obuiusque in regni finibus, ut promiserat, Steno occurrit, cum catervâ hominum audacissimorum, & patrare quidvis certâ. Nuntiat, pacata omnia; quod & rex, progressus ultra, verum comperit: admodum lætus, quòd, conciliatis partibus, atque rebus ex sententiâ constitutis, mox in Daniam redituro se speraret. Interim Steno, jam adductum in insidias regem cernens, mittit literas quoquo versus, ad eos proceres, quos addictos sibi maximè, & aversos à Ioanne, satis exploratum haberet, operam eorum clam implorat, atque orat, uti circumspectè agant; ac cum armis, si res postulet, præsto adsint: rursum aliis mandare, ut silvestribus in locis, & remotis, clandestinè plebem convocatam arment. Quæ Stenonem agitare cum familiares regis comperissent, monent sedulo, uti eum observaret, & insidias caveret: nisi faceret, fore ut, opinione suâ citius, circumventus tolleretur. rex, qui fidem non haberet, nec inducere animû possit, ut Stenonem scelus in se concepisse tantum crederet; tamen illis admonere, & obtestari, ut habere sui rationem vellet, nullo modo deficientibus, tandem victus, aurem præbuit: ac, cum observare ejus actiones diligentius inceperat, vera esse, quæ amici retulissent, deprehendit. Itaque, cum vires justas, quibus sese tueretur, non haberet; nec consultum existimaret, in auctorem insidiarum animadvertere; quod tutissimum videbatur, rem dissimulat; atque, ut evadere possit, causas fingit, ob quas sibi festinatò in Daniam redeundum diceret. Itaque Stenonem jubet currus sibi præparare. Atque ille, sine morâ iussa facit: non obsequio, verum quòd consiliis suis exsequendis tempus sese opportunum nactum crederet. Emissis itaque suæ factio-

nis ducibus, clam ex agris tria circiter hominum millia ocyùs convocat, cum mandato, ut in curribus tectè secum arma ferant; hisque eosdem, quos emiserat, duces tribuit: præcipitque, ut, quâ regi in Daniam transeundum esset, undique vias obsiderent; &, ad lacum nigrum currus expectantem, noctu per tumultum invaderent. Ipse, ne prodicionis alicujus apud quenquam in suspicionem incurreret, nunquam quoquam ab ejus latere concedebat. Cujus rei rex per suos certior factus, cum, obsessis viis omnibus, quâ in Daniam iter esset, interceptum se cognovit, exituque prohiberi, consilium in arena capit; & Stocholmum cum uxore, eadem nocte, quâ patrandum scelus erat, magnis itineribus petit: ac vigiliâ noctis primâ eam intrat. Steno, cum insidias non processisse animadverteret, spe se suâ excidisse indignatus, clam de regis comitatu se subducit. Rex, Stocholmum ut evasit, mox senatum, & nobilitatem regni, ad se vocat; qui frequentes cum venissent, præter solos conjuratos, ac Stenonem, eorum ducem, quos flagitii destinati conscientia, ne auderent convenire, deterrebat: rex, seorsim missis ad Stenonem literis, monet eum, *ut & ipse ad comitia adesse velit. Verum ille respondere; se paratum isthoc facere, sed acceptâ fide publicâ, atque obside: aliter, non tutum sibi arbitrari.* Post quæ rex, præfatus quædam in senatu, de perfidiâ Stenonis, blandè compellatos singulos rogat; *num ex eo die, quo habenas regni Sueciæ gubernare primùm cæperat, quicquam contra jus, aut æquum, vel antiqua privilegia, consuetudinesque regni, commisisse videretur: tum, an gravis cuiquam publicè, aut privatim, exstitisset: aut, abusus potestate, perperam rempublicam administrasset. Quod si quis illarum rerum meritò insimulari eum posse existimaret, se paratum respondere, atque etiam regno cedere. Quin senatum univèrsam judicem capere, eique quidvis statuendi liberam potestatem facere.* Hæ dicentem cum audirent, moti omnes, porrò cupientem loqui interpellant; *graviter dolere sibi, quòd, perfidiam unius omnibus communem esse, suspicari videretur.* Tum hortantur; *uti bono animo esset: sibi à fide, & obsequio, etiam contra Stenonem, non discedere deinceps certum.* At rex, ut Stenonem de se queritantem coram

coram audiret; studioque, ac comitate, potius quam armata manu, perduellem ad obsequium reduceret; datis publicæ fidei literis, quas petierat, iterum eum ad se vocat. Quas cum ille accepisset, gnarus, regem in civitatem cum exiguo comitatu pervenisse, ipse cum majore multo, ac Suantone, Henningo Gaddio, Canuto Alfonso, aliisque factionis suæ sociis, & equitibus septingentis, mox advenit: & priusquam advenisset rex rescisceret, ædibus munitioribus occupatis, consilium ejus accuratius perpendentibus, merito suspectus fuit, quod, acceptâ fide publicâ, advenisset, non tam ad colloquium amicum regis, quam, ut locis opportunis, atque ad eum medio foro, contra eum castra sua collocaret. Quâ re cognitâ, rex, quo propius jam periculum imminere animadvertit, eò magis providendum sibi ratus, ita res in arce ordinat, uti, si rebellionem manifestam, ac vim etiam intentare, Steno auderet, propulsare eum posset. Tum Stenonem ad se vocat: ac proferre, si quid accusaret, jubet. Cumque ille, tutum isthuc non videri, sine obside, responderet; atque rex, cui bonâ fide agere certum, non gravatè hunc concederet: postquam tandem accessisset, comparatâ oratione, *se nullius sibi sceleris conscium*, ait; *sed, cum inimici ipsum apud regem traduxissent, ideo clam secessisse, ut, in tuto collocatus, suam ei innocentiam approbaret. Nec mirandum cuiquam esse; si, priusquam se suspitione tantâ liberasset, minimè fuisset ausus ad iratum regem accedere: quâ in re si quid imprudens offendisset, id ut sibi ignoscatur, etiam atque etiam petere. Non se hominum coercere linguas posse, ac pro suo serè arbitrio quemque loqui: cæterum non ulli culpæ se affinem, id illas à conscientia affirmare, in proclivi. Quin, pro dignitate regis, & salute, quidvis promptum facere, ac pati: unum verò etiam aliis regni Sueciæ optimatibus aliquantum displicere, quod Calmarniense pactum non omninò servaretur. Hic interrogante rege, quâ in re id violatum existimaret? regerebat; arces regni, fidei indigenarum committendas, Danis, aut Germanis, datas. Id peccatum si emendet, nihil reliquum magnopere, quod vel ipse, aliorve, queri possent: ac futurum, ut deinceps omnium sibi fidem obstringat.* Atque hic consensus cæterorum fuit; gratiæque illi ab universis actæ, cum justitiam, tum

clementiam, temperantiam, ac mansuetudinem collaudantibus: & testantibus, *illud sibi summum sanè votum esse, ut incolumis divitissimè regnum teneat. Nec se regem alium cupere: nec carere eo facile, sine magno suo damno, Sueciam posse. Et orare ob hanc causam, ne, suspectâ hominis unius fide, temerè fortè ab inimicis accusati, eundè affectum universis esse crederet. Interim, quo tutior foret, in salutem suam incumberet, & presidium adhiberet; se paratos, quandocunque videretur, præsto ad auxilium esse: nec tueri incolumitatem ejus, quam certo vitæ suæ cum periculo, destituros.* Rex, senatu collaudato, cum Stenonem cupidum novarum rerum, atque regnum affectantem, & auctoritatis magnæ inter suos cognovisset; neque posset, quin suspectum nihilominus porro haberet: verbis pluribus hortatur, *ut, in fide, & officio, toties jam descivisse deprehensus, semel tandem perseveret.* Omnes verò, ad convivium suum vocat: neque quicquam prætermittit, quod ad animos in amore, & obsequio, confirmandos pertinere existimaret. Verùm frustrâ humanitas fuit; neque Steno modum ambitioni suæ, ac consiliis turbulentis, ponere potuit. Et paullo post, cum aliis item factiosis, quorum primus Suanto erat, per præsidia sua audax, quibus urbem in potestatem redeigisse videbatur, iterum nobilitatem concitare in regem cœpit. quique in arcem ipse ascendere, nisi dato prius obside, recusaverat, mox, contemptum manifestum præ se ferens, ab eo petit, ut in urbem ad se veniat, & consilium ad negotia quædam conferat. Sed superbiam hominis rex indignatus, partim & infidias agitari gnarus, intra arcem se continuit, nec prodire in urbem voluit. quâ re incitatus Steno, huc & illuc cursitare: ac consilia, semel capta, porro urgere. Rex, quo sese, velut contra hostes suos, tueretur, communiri arcem jubet. Inter ista, cum regina, fæmina inprimis pia, aliquando ad audienda in urbe sacra descendendi veniam à rege peteret; rex, qui suos antea prohibuisset universos, quod infidias vereretur, respondere: Si ad hostem ire velit: id licere; sed, si eo comitata revertatur, fore, ut non admittatur. Quo responso, postquam moesta discessisset, & in lacrymas erupisset, rex, à fletu abstinere statim jussam, in templum dedu-

ci mandat. Cumque eò descendisset, o-  
 ciùs conscenso muro, tormenta locis op-  
 portunis, & præsidia, passim collocari ju-  
 bet: ut, si fortè, quod futurum prævide-  
 bat, reginam Sueci magno numero comi-  
 tantes, unà intrare niterentur, fortiter re-  
 pellerentur. Post peracta in templo sacra,  
 cum regina regredi in arcem vellet, Steno  
 ac Suanto, perbenignè consalutant: & ceu  
 eam ex officio deducturi, mediam ambo  
 prehendentés, magno numero comitan-  
 tur. At, cum arcem accessissent, militem-  
 que in muris cernerent, aditu prohibitu-  
 rum, subsistentes, ac reginam dimittentes,  
 illicò indignabundi, & gravia quæque  
 comminati, urbem repetunt. Inde Steno  
 mox excedit; & in loca tutiora cum ve-  
 nisset, nullà ultrà simulatione usus, hostem  
 sese manifestum profitetur; ac sollicitare  
 regni singulos primates incipit, hortari-  
 que, ut deficerent à rege. Conciones plu-  
 ribus in locis habet: quibus graviter, ad  
 invidiam odiumque concitandum, debac-  
 chatur. *Non id temerè factum esse, quod Stoc-*  
*holmi in conventu procerum publico adeò sese*  
*diligenter rex purgaverit, animosque item om-*  
*nium benevolentiam simulatam devincire studuis-*  
*set. Ita enim cum naturam, tum industriam, com-*  
*paratum; ut, quibus se imparem in præsentem vide-*  
*at, blanditiis tam diu teneat, donec, armis com-*  
*paratis, viribusque confirmatis, eos improvisò*  
*opprimat. Ac, nunc tempus advenisse, quo li-*  
*bertas regni Suecia, nisi eam armis vindicare*  
*auderent, planè peritura esset.* Insuper confi-  
 lia regis, illa valdè salutaria, & ad pacem,  
 ac concordiam, pertinentia, passim apud  
 credulam plebem per calumniam tradu-  
 cit: præfectorum quoque ejus avaritiam,  
 & crudelitatem, exaggerat; querimoniã  
 etsi fortè non injustã, tamen nimiam. Tum  
 respicere Norvegiã jubet; quæ, cum Daniã  
 postquam fœdus iniisset, præscã libertate exuta, in  
 extremam servitutem miserè dejecta esset. etiam  
 jusjurandum poscit, quo promitterent uni-  
 versi, in commune consulturos, quod ex  
 usu regni esse existimarent. Quibus verbis  
 concitatis passim animis, subito tumultu  
 orto, undique ad arma itum: ac Stenonem  
 bona pars nobilitatis, ad periculum com-  
 mune, ut credebant, patriæ suæ, depellen-  
 dum, ducem petere. Ad hanc Suanto se ad-  
 jungere, vir primariã inter proceres digni-  
 tate: & Stenonem, satis per se incitatum,  
 magis etiam instigare. Steno itaque, suo  
 ingenio dominandi cupidissimus, pronis  
 adeò animis tumultuantium, vindicandæ,  
 ut vocabat, contumeliæ dari occasionem  
 ratus, neque eam negligendam, denuò in-  
 vadit regnum, bellum parat. Atque illud  
 ut legitimum videretur, ad diem Calen-  
 darum Augusti conventum Alvastris indi-  
 cit. Quò cum Suanto, cæteri que factiosi,  
 convenissent, ad Ioannem, etiam tum Stoc-  
 holmi agentem, suo omniumque nomine  
 literas mittit, nuntiatque; *hostem se deinceps*  
*fore, & ad bellum capeffendum à suis cogi: qui*  
*tyrannidem præfectorum, quos præter jus, atque*  
*fas, imposuisset regno Suecia, non ulterius tole-*  
*randam, vindicare statuissent.* Rex, acceptis  
 illis literis, cum Stenonem rursus fidem  
 exuisse intelligeret; & se neque bello pa-  
 rem, nec obsidioni item tolerandæ, anim-  
 adverteret; cedere furori certus, reginam  
 gravidam, ut in regno regni successorem  
 pareret, relinquere in arce cum præsidio;  
 ipse verò, cum nonnullis regni Sueciæ pro-  
 ceribus, quos constanti in se fide existima-  
 ret, in Daniã recedere statuit: mox cum  
 justis inde copiis reversurus, ac Stenonem  
 manu armatã in potestatem reducturus.  
 Quæ cum sic constituisset, civibus in con-  
 cionem advocatis, multa de Stenone que-  
 ritur: quod, oblitus fidei suæ, & juramenti, bel-  
 lum iterum moveret. à quo, toties perduelli, quid-  
 nam exspectandum esset, neminem se adeò rerum  
 imperitum arbitrari, quin id satis intelligeret.  
 Sibi in Daniã proficisci certum esse; ac, parato  
 justo exercitu, ad liberandam ab obsidione urbem,  
 quam celerrimè reversurum. Quin, ne quic-  
 quam de affectu suo in ipsos dubitarent, pignus  
 se in arce certum, uxorem gravidam relicturum:  
 ac vicissim cupere ex ipsis scire, quid de illis pol-  
 liceri sibi debeat. Illi, cum consilium regis  
 accepissent, primum enixè rogare; ne de-  
 serere ipsos vellet; neque enim arbitrari, has Ste-  
 nonis vires esse, ut perficere cœpta possit: quin  
 futurum, ut, elanguescente primo furiosa ple-  
 bis impetu, armis suã sponte positis, veniam re-  
 bellionis iterum petitum veniat. Cæterum,  
 perseverante in proposito suo rege; nec,  
 præsidio tam exiguo, obsideri se passurum, affir-  
 mante; fidem omnes obstrinxere, se mansu-  
 ros in obsequio, neque hostium ullo metu, aut  
 periculi magnitudine, defecturos. His pro con-  
 cione actis; rex postridie Daniã navigio  
 petit. Ejusque abitu multo jam ferocior  
 Steno

Steno, arces regni, quas præsidio communitas rex tenebat, recuperare animum inducens, primùm Orebroum tendit; irâ in præfectum ejus, Ioannem Falsterum: quod is Haraldum Plattingum, antea Norreschogenfi præfecturâ à se donatum, cum gubernatorem regni Sueciæ ageret, in furcam egisset. Itaque, recuperatâ post continuam oppugnationem arce, ignominiosam mortem hominis amici ulturus, Falsterum captum Arbogam duci, & in vincula coniectum, ad supplicium aliquod gravius asservari illic jubet. Quo peracto, mox Stocholmum castra movens, arctâ id obsidione utrinque cingit; cumque armis expugnare sese posse desperaret, astu aggressus, sat feliciter perfecit. Quippe, immixtis ad primarios quosdam cives, & auctoritate validos, qui largitionibus eos, ac promissis luculentis, ad dedendam sibi urbem permoverent, benè opera successit. Atque illi, spe majoris libertatis, quam prolixè Steno fecerat, primùm occultè, inde palàm res moliri novas ausi, non reginæ ullâ ultrâ comitate retineri in officio potuere: consulesque, ac nonnulli consularis dignitatis, pauldò post in castra egressi, ut de pace cum Stenone ineundâ consultarent. Quâ in re dum occupantur, incendium, incertum unde, magnum in civitate exortum est. Ideoque trepidatione subitâ, ut in talibus usitatum, raptis statim armis cives cum in foro convenissent, mox validiore flammâ procurrentes, portas civitatis petunt: ac Stenoni, foris cum armatâ manu exspectanti, eas pandunt. Qui irrumpens, & præsidia locis opportunis ponit; & concurrere, ad incendium extinguendum, cives jubet: oppidoque sic positus, arcem, ac reginam in eâ, porrò obsidet. Atque, aliquot cohortibus in vicina loca missis, plebem in præfectos regios, regni arcibus impositos, passim concitat: quosque illorum comprehendit, graviter excruciatos, in suorum aspectu necat. Inter illos & Falsterum; quem Arbogæ, uti dixi, in tormenta exquisita asservatum, eo tempore maximâ crudelitate Suecis disperendum dedit. Ita verò Steno sæviit; quo & poenæ immanitate metum cæteris incuteret, & sævitiam aliorum suæ factionis principum hoc exemplo incitaret.

His in Daniam perlatis, ulcisci quidem rex suorum indignam cædem cupiebat; sed terrestris expeditio, sine classe, nihil profutura erat: atque illam apparere, hyems ingruens non sinebat. Igitur cunctante rege, atque classi instruendæ idoneum tempus exspectante, Steno, occasione usus, graviter sævire in eos, quos in regem propendere intellexerat. Interim regina arcem, amisâ urbe, quam fortissimè tuebatur: & ut etiam capiendæ spem eriperet, tanquam cibo abundante, quanquam fame nihilominus satis magnâ laboraret, & absumpto comæatu universo, reliquum nil præter carnem equinam haberet, egregio astu obsessorem eludebat. Etenim suam pinguem unam asservari, ac, diebus semper aliquot interpositis, identidem produci in vallum; tum & vinculis constringi, juguloque cultrum veluti feriendæ intentari, imperabat: quæ dum fierent, ejulante in majorem modum sue, ut facillimè exaudiri in urbe posset, conjecturam oppidani faciebant, necdum illic fame ullâ, aut inopiâ comæatus, laborari. Atque ita, quando arx munita adedò armis expugnari haud posset, obsidionem in biennium protrahebat. Elapsâ hyeme, rex Elizabetham filiam Ioachimo, marchioni Brandeburgico, Imperii Septemviro, dat uxorem: nuptiæque celebratæ cum illustri apparatu, ineunte mense Majo. per quæ postquam fama ejus laborare inceperat, ac si, conjugem neglectâ, quæ Stocholmi obsidebatur, aliò animum transtulisset; adedò nihili falsum hunc rumorem fecit, ut, purgandi sui causâ, nunquam quicquam contrâ dixerit: nec hoc nomine delatos redarguerit, aut severiùs unquam in eos animadverterit. Eodem tempore, monachus quidam, ordinis Hierosolymitani, Hermannus nomine, gente Danus, à pontifice summo missus, in Daniam venit; populares ad militiam, contra Turcas capeffendam, hortaturus: sed Ioannes, cum & ipse hostes Suecos rebellantes domi haberet, nec Vandalicis civitatibus satis fideret, apud Iulium pontificem, cur auxilia eo tempore nulla mitteret, per legatum se excusat. Quæ dum fiunt, Steno, nihil sibi actum esse ratus, nisi etiam Norvegos ad rebellionem impel-

impelleret; missis literis, nuntiisque, libertatem sempiternam, onerumque publicorum immunitatem, pollicetur, si communia secum arma sumere in regem velint. Atque illi, mentione libertatis, quæ dulcissima est mortalibus, ad defectionem illecti, coeunt primum, ac deliberant: Hinc, Canuto Adolpho duce, magnæ auctoritatis viro, tandem etiam Suecis se conjungere statuunt. Quæ rex postquam accepisset, in Norvegiam ablegat Ioannem Ibsolum, episcopum Roschildiensem, & Henricum Crummedicum: qui exoptulenti cum Canuto, quod à fide in regem suum descivisset. Hi navigio profecti, cum in portum Eggerhusium appulissent, Canutum ad se fide publicâ accersunt: & accensi criminatione mutuâ, cum utrinque incaluisse, incertum an mandato regis, interficiunt. Quam ob cædem post exortâ controversiâ, factum fuit, ut cadaver per duodecim annos totos insepultum fervaretur. Paullò antè etiam Paullum Laxmannum, aulæ regiæ præfectum, & auctoritate quoque excellentem, quidam Ebbo Strandifonus, & Biorno Anderfonus, Hafniæ, ex arce regiâ venientem in civitatem, in ponte alto, quem appellant, contrucidant. Primum Ebbo, occurrentem stricto pugione invadit; & inflicto in pectus vulnere, procidentem, è ponte in subjectam forte scapham dejicit, ne spes vitæ superesse ulla posset: insuper insultat cæso; ac quemadmodum Salmo ipse diceretur, nempe primâ nominis istius syllabâ piscem illum denotante, in aquis potius, quàm in terris, degere eum oportere, per ludibrium impropert. Eâ cæde perpetratâ, percussores, nullo illos persequente, extra urbem effugerunt; quâ re factum, ut rex vulgo, si non auctor, saltem confcius putaretur: quod, in urbe cum adesset, percussores comprehendi non curaverit. Atque ille, etiamsi nullum omninò magistratum se superiorem agnosceret; tamen, ne objiceret quisquam, quod, cum ipse reus esse crederetur, suâ in causâ partes judicis desumpisset, in Imperii Electores compromittit: ac, quod illi censuissent, ejus deinde confirmandi cameræ Imperialis assessoribus plenam potestatem facit. Ad hæc etiam literas addit: quibus

cædis ejus culpam ab Ebbone, & hæredibus, in se, Daniæque reges successuros, transtulisse fateretur. Verum ajunt, adeò illum hujus mox sententiæ poenituisse, ut, jam morte propinquante, sæpius nomen Laxmanni ingeminare audiretur. Inde, vere ineunte, classem parat, liberandæ uxori suæ: quæ jam huc redacta erat, ut diutius tolerandæ obsidioni, sine novo comeatu, & præsidio, par non esset. Id cum Steno rescivisset, quod jam dudum intermiserat, denuò se ad arcem oppugnandam vertit: sed, obsessis non minore fortitudine repugnantibus, rursus destitit. At, cunctante nimis rege, atque vento adversante retardato, cum non ultro tolerari fames posset, ac præsidium universum deditioem flagitaret; metuens regina cogi, nisi sponte morem gereret, incolumitatem suam, & suorum, liberumque in Daniam discessum pacta, tandem se, arcemque, dedit: post obsidionem arctissimam, paullò minùs annos duos, constantiâ in sexu isto multò magis admirandâ, toleratam. Verum Steno, qui jam toties fidem regi fefellisset, nec reginæ hanc servavit. Nam ex arce descendente, neque fraudem, aut perfidiam, suspicantem, manu injectâ, in coenobium Alvastrum captam abduxit, atque illic in sequentem annum tenuit. Ex præfidiariis ejus, qui initio mille erant, noningenti morbo, è corrupto cibo, aut inediâ, comparato, perierunt. Vix deditio facta erat, cum rex, suis subventurus, classem applicat. Qui, ut urbem, atque arcem, conjugemque, in Stenonis potestatem pervenisse intellexit, graviter affectus animo, suam partim tarditatem, partim adversam tempestatem, incusare; inde, ad senatum regni tunc præsentem missò nuntio, cum is non admitteretur, indignatus, naves suas retrò ducere: ac repetere Daniam suam, amplioem mox exercitum paraturus. Sed, Vandalicarum urbium levitatem cum perspectam sibi haberet, veritus ne, quod futurum jam prospiceret, in Suecorum partes irent, ac cum illis se conjungerent, primum id curandum statuit, uti eas à consilio hoc averteret. Et, quantumvis animo ab ipsis alieno esset, quod Stenonem ad rebellandum impulisse crederentur;

tur; tamen, ne quid prior eas laceffisse, aut dedisse inferendo bello causam videretur, stabilire pacem voluit. Itaque Lubecam mittit Ioannem Calvum, præfulem Othonienfem, cum duobus è nobilitate aliis, ac fenatui exponit; quibus dolis, & insidiis, à Stenone, contra fidem iurejurando obstrictam, pridem in Sueciâ propè circumventus esset: quibus nisi eum Deus manifestò eripuisset, planè futurum fuisse, ut, nefario scelere oppressus, prius caderet, quàm illius in se machinationes deprehendere potuisset. Eum verò non contentum, insidias semel posuisse; insuper, palàm perduellem, contra fidem, quam nunc toties adjuraverit, Sueciam in se universam, & Norvegiam, concitasse. Denique, ne intentatum quid relinqueret, positis ad Stocholmum castris, urbe prius, inde arce, occupatâ, etiam reginam uxorem, quæ discessum sibi liberum pacta fuerat, non minore cum perfidiâ detinere. quibus causis cum in bellum necessarium compellatur, quo & suis in discrimine tam præfenti opem ferat, redigatque in potestatem perduelles; orare sese, id largiri regis amicitia velint, ut interea conquiescant: nec Stenonem commeatu, aut armis, juvent. Quod si dandum ipsi putent, gratiam vicissim ejus sibi obstricturos esse; neque illum quicquam item omiffurum, quod ad dignitatem eorum, commodumve, pertinere existimarent: contra verò, si quos commeatum Suecis, resve alias necessarias, importantes deprehenderit, hostium loco habiturum. Ad hæc ita Lubecenses responderunt. Causam eam ad se minimè pertinere, non placere sibi quidem contumaciam Suecorum; sed injuriam regi ab iisdem factam vindicare, nullo modo in suâ potestate esse: itaque viderent ipsi, quonam pacto ulciscerentur. se, obnoxios neutri parti, mercaturam exercere: ideo neque liberâ navigatione interdicere quenquam posse. Quo responfo, postquam satis appareret, quidnam animis Lubecenses agerent, oratores, quæ prætereà jussi erant, porrò exponunt, & discedunt. Neque multò post legatus à Iacobo IV adest, Scotiæ rege; isque primùm Lubecensibus, hinc Vandalicis quoque aliis civitatibus, quæ legati pridem Danici exposuerant, ea ipse item refert: herum suum Ioanni avunculo, contra Suecos perduelles iusta arma capienti, opem ferre statuisse. Ac proinde civitates illas omnes monitas velle, ne in Sueciam quicquam inferant, quod rebellionis gentis confirmandæ usui ul-

li esse possit. si quæ contra quid auderet, eam hostis loco fore. Atque huic responsum fuit; postquam merces, & pecunias, ac negotiationis suæ socios, toto illo regno haberent, maximâ suarum rerum se jaçturâ affectum iri, si commerciis usitatis excludantur: tum iniquè secum agi, si fortunis istis suis, ob discordiam utriusque ejus regni, evertantur. Ad hæc etiam, se cum Suecis planè nil commune habere, persuadere conabantur: cum constaret nihilominus, anno seculi præcedentis nonagesimo cum Stenone hæc conditione fœdus iniisse, ut pars neutra, absque voluntate alterius, ac consensu, pacem cum Ioanne rege ullam faceret. Rex, legatis mox reversis, postquam animum Lubecensium cognovisset, naves statim aliquot armat, & in mare Balticum mittit; ac præfectis harum mandat, providerent, ne quid Suecis rerum necessariarum Lubecenses, aut Vandalicæ civitates alia quævis, apportarent: naves verò, quæ id facerent, universas interciperent, ac in proximum quemque regni portum abducerent: & intactas asservarent, dum de voluntate suâ certiores facti essent. Neque mora, statim mare obsidetur: Suecicæque merces vehens navis quædam Lubecensis, Rigâ è Livoniâ veniens, intercipitur. Quod Lubecam ut perlatum, illicò tumultuari, ac vociferari, cives; non ferendam vim Danorum; quæque injustè abstulissent, bello repetenda esse. Senatam ad injurias civium nimis diu connivere: non facturum, si privatim res ipsius rex invaderet. Et is quidem ad suscipiendum bellum, quod ex fœdere tenebatur, inclinabat: sed, ærario nimis tenui, rem gerendam per legatos potiùs existimabat: itaque mittit, qui restitui navem interceptam petant: hisque rex responsum dedit. Nolle se cum Lubecensibus, aut Vandalicis item aliis civitatibus, simultatem exercere, nedum etiam bellum aliquod inceptare; ac testatum sat fecisse, cum, legatis pridem missis, indicaverit, se evadere non posse, quin cum Suecis bellum gerat: & orare hanc ob causam, ut tantisper suam in gratiam regno Sueciæ abstinerent. Quâ in re non tantùm postulatis suis nullo modo acquievissè, sed ferociùs respondiissè. Quod an sat prudenter fecerint, & convenienter temporari, nil iniquum expetenti, ipsis id dijudicandum se velinere. Non dissidium cum Vandalicis civitatibus ullum velle: sed, quæ sui nunc fecis-

sent, de quibus conquererentur, id futurum, nisi Sueciâ abstinerent, per legatos, quos neglexerant, monuisse. Itaque si vel deinceps facere postulata velint, navem suam, & res omnes illibatas, redditurum; atque mandaturum suis, ne posthac committere quid tale ausint: contra vero, si persistant in proposito, non duntaxat, quæ adempta jam querantur, minimè restitutum iri, sed majora etiam damna porro accepturos esse. Ad hæc, scire sese Lubecenses velle; quæ priores Daniæ reges olim ipsis privilegia concessissent, idèe indulgentia esse, ut honorem regno haberent, idque contra vim hostilem qualemcunque adjuvarent: non ut illud, se cum hostibus conjungentes, impugnarent. Ac, si pergant, facile futurum esse, ut hæc ipsa, ceu ingratis, & indignis, adimantur. Hoc responsum cum Lubecam allatum esset, statim cives arma capienda clamant: sed senatus moderatior, cætera omnia prius experiri statuit. Missis itaque aliis atque aliis literis, cum nil rex pro expectatione ipsis responderet, tandem se ad bellum parat; ocyusque militem legit, naves instruit: idque festinatò valdè, uti regem præveniret, qui & ipse mox promptissimè se vicissim ad mox affuturum hostem propulsandum præparabat. Sed, dum pariter utrinque magno animorum impetu bellum agitant, Fridericus, dux Slesvici & Holsatiæ, regis frater, medium se rebus componendis inserit, ac Lubecam parvo comitatu abit. Verùm operam princeps optimus omnem lusit: obstinatis Lubecensibus, atque ea postulantibus, quæ promittere, sine regis voluntate, neque vellet, neque posset. Acta aliquot diebus, magno civium tumultu, causa fuit, sed nequicquam. Tandem illud constitutum, ut, si regi videretur, ac quo ipse loco vellet, iterum ad rem eandem peragendam convenirent. mittitur ad regem quidam ex primoribus Holsatiæ: qui & acta Friderici, & postulata Lubecensium, explicaret. ea autem ista erant. *Lubecenses multis causis regno Sueciæ abstinere omninò nolle; inde liberam navigationem cupere, & accepta à regibus Daniæ privilegia facta teçta conservari: denique navem, & ablata bona, reddi. quæ si rex promittere velit, arma posituros esse: si recuset, quæ injustè pridem ademerit, bello mox repetituros.* Sed verborum hæc ferociâ rex in primis magni animi multo magis irritatus,

missis statim navium majore numero, diligenter mare totum observare suos jubet: & cavere, ne quid regnum detrimenti à Lubecensibus usquam capiat. tum auxilia à confœderatis regibus Galliæ, Angliæ, Scotiæque, & principibus vicinis, sibi petit. ac quantumvis, præter regem Scotiæ, Iacobum IV, per sororem Margaretam sibi affinem, focerumque Ioachimum, Electorem Brandenburgicum, nemo quid supeditaret; tamen animi, sparsâ apparatus famâ, Lubecensibus cecidere: ita ut classem, penè instructam, intermitterent; militemque, jam collectum, exauctorarent. regii verò, ut jussi erant, mare arctè obsidentes, seduloque excubantes, & majorem indies formidinem hosti incussere; & alteram quoque earum navem, quæ in Sueciam contendebat, interceptam, in portum proximum abduxere. Post hæc Scotiæ rex Iacobus, quod non ita multo antè civitatibus Vandalicis se facturum indicaverat, naves duas, benè instructas, regi affini contra rebellantes Suecos auxilium laturas, mittit: ac septemvir Brandenburgicus peditum item aliquot signa. Hinc Norvegiam coercere, quam ad arma Sueci pridè concitaverant, postquam rex constituisset, cum senatu rem communicat. qui sententiis cum inter se diffideret, visum fuit, ut à Friderico fratre, partem sibi ejus regni vendicante, auxilium posceret. in quam rem cum nil legati impetrassent, quod, contentus suâ in ducatibus forte, Fridericus de Norvegiâ non magnopere laborare videretur; constitutum, ut totius regni curam rex susciperet: copiasque illuc mitteret, subductore Christiano, filio suo. Atque is, mandato patris obsequutus, cum Asloiam processisset, jussis hîc subsistere copiis, variâque excursionem in hostem factâ, Hermolaum Hudfadum cepit, perduellionis ducem: ac damnatum, ad Bahusam rotæ imposuit. Nec multò post, cum missa à Stenone auxilia profligasset, & Canutum Caroli F. qui ducebat, cecidisset, mox Norvegiam universam ad obsequium redegit. Quo peracto, belli molem Christianus universam in Suecos vertit: & exercitu in illorum fines ducto, Losam urbem expugnatam, cum diripuisset prius, mox incensam solo æquavit.



æquavit. Inde Elsburgum, & Orstorum, arces propè adjacentes, circumfedit. Præerat his Ericus Erici; isque, adventu Christiani intellecto, cum nec sat munitum sese ad vim propulsandam sciret; nec instructum commeatu, ad obsidionem aliquam longiorem tolerandam; rebus, quantum angustia temporis permittebat, ordinatis, se periculo subduxit: idque illi, ut dicemus suo loco, postea exitio fuit. Christianus, ut majorem Suecis proximis metum incuteret, veniam præsidariis, dedere sese vitâ salvâ cupientibus, denegavit. Quâ de causâ, cum salutem desperarent, & extrema quæque sibi exspectanda animadverterent, clam emittunt noctu nuntium, qui Stenonem de suarum rerum statu universo certum faceret: &, ni properè subveniret, actum de se, arcibusque istis, diceret. Quæ cum Steno accepisset, ut periculo tam præsentis suos liberatum iret, cæterosque, metu hostium consternatos, confirmaret, statim magnum peditum pariter equitumque numerum ex agris cogit. His Achonem Ioannis F. gentis Ostrogothicæ præsidem, ducem imponit: qui per saltus, atque rupes, aère caliginoso, obliquatis itineribus, in Danorum, hostem nullum exspectantium, ante Elsburgum improvisè castra irrumpere constituerat. Cumque jam non longè abesset, ac cum suis consultaret, quo in loco castra hostium maximè adorienda viderentur, eminus pascentem equos rusticum quendam conspicatus, missis aliquot equitibus, ducere eum ad se jubet: si quid fortè de castrorum Danicorum statu scire ex ipso posset. At is, equites in se irruentes vident, ac ne caperetur metuens, illicò confenso equo, vix ad Danos fugâ evasit. Quem citato cursu in castra venientem cum vidisset Canutus Thymæus, juvenis claro loco natus, è familiâ Christiani, advocatum, quid novarum rerum ferret, & quid adeò properanter adveniret, percontatur: atque is, ut animo erat consternato, magnam hominum armatorum multitudinem, quam vix equo concitato effugisset, in propinquo esse ait. Ac Canutus, quæ acceperat, sine morâ ad exercitus ducem refert. Fortè pridie Elsburgenses se dediderant, & in arce Christianus eâ

nocte somnum ceperat; atque illud tempus erat, quo excubiæ ferè commutari solent: &, nocturnis jam digressis, quæ succederent diurnæ, nec, dum adhuc stationem occupaverant. Itaque, priusquam convenire Dani, & locum capere, aut, quàm propè hostis esset, scire possent, Sueci, densâ nebulâ tecti, jam ad ipsa castra erant; & excelsum juxta montem, ac præsidio, ob digressas, uti dixi, inde excubiis, destitutum, occupaverant: unde, quidnam Dani gererent, facile prospicere poterant. Acho, qui majorem in castris, quàm speraverat, solitudinem animadverteret, plurimis adhuc, ut diluculo, dormientibus, neque hostem omninò ullum exspectantibus; ratus, etiam Christianum, quod de arcis deditioe nihil planè accepisset, somno in castris indulgere: ut virtute, ac non dolo, se cum hoste experiri velle ostenderet, canere tubicinem jubet. qui, miratus id mandatum; *atqui; inquit, dux illustris, non nunc classico ullo opus: sed silentio potius invadendus hostis, & victoria in proclivi est.* Verum is mandatum iterat; malum quoque, ni pareret, comminatus: *neque enim filium regis, & nobilitatem tantam, aliter quàm Marte aperto adoriri, æquum, aut decorum, esse.* Quippe vir ingentis animi, quanquam peditatu carens, quem reliquerat in viâ, festinantem sequi invalidum, solo sese equitatu profligare hostem posse existimabat. Itaque, cum classicum tuba cecinisset, impetu in castra factò, magnam initio Sueci stragem edidit: antequam Dani, somno suo experrecti, hostem advenisse scirent. In tumultu isto Acho, cum equitibus nonnullis castra obequitans, incidit fortè in tentorium Othonis Rudii, cum quo somnum eâ nocte ceperat Andreas Bildius. ac Rudius quidem, equitatu universo; Bildius, tormentis præerat: stirpe ambo nobilissimâ, dumque Rudius cum Achone manum conferit, muneris sui memor Bildius, in periculo repentino, cum se inde expedisset, ocyus ad tormenta abit. Rudius verò, aliis mox atque aliis, ad suppetias accurrentibus, hostem è tentorio expellit. quo ad suos recurrente, signifer Danus, quod præceptum in ejusmodi casu erat, in mediâ castrorum areâ derepentè signum

tollit. quo conspecto, concurrentes illuc Dani, & ingenti statim numero, facto agmine, hostem alacres invadunt, contrucidant, dissipantque: ac regium item signum capiunt. Propulsatis autem hunc in modum Suecis, atque vindicatis castris, Christianus, interfecto, quia pertinaciter admodum repugnasset, milite præfidiario, incendi arcem utramque iussit: ac, cum agmen universum in Ostrogothorum fines perduxisset, ferro eos, atque flammâ, populatus, mox in Scaniam revertitur. Postea Andreae Bildio litem movit Otho Rudius; quod is ipsum, irruentibus in castra, & tentorium suum, hostibus, turpiter deseruisset: quod exaggerante illo, adeo utrinque animi exarsere, ut pacari intercessione ullâ amicorum non potuerint. itaque, delatâ tandem ad regem causâ, is pronuntiat; *neutiquam peccasse Bildium, qui non metu, aut prodicione aliquâ, socium deseruisset, sed ad munus obeundum discessisset: oportere, uti suum in bello locum unusquisque tueatur; seduloque illud curet, ne officio usquam desit.* Per id tempus Otho Rudius, Bahusæ præses, arcem Olsburgum, structam à Suecis, ad defensionem agri adjacentis, ac præsidio non exiguo communitam, clam de nocte, quæ natalem Servatoris antecedit, strategemate quodam cepit. Postquam sciret, more olim jam recepto, milites præfidiarios passim in arcibus pridie istius festi largius se invitare; ille suos sub vigiliam noctis primam arma capere, & industria, quibus sese internoscerent, linea superinduere jubet: atque sic Bahusâ egressus, summâ cum difficultate, per exstantem altè nivem, ad Olsburgum nocte intempestâ venit. Vbi postquam excubias nullas animadvertit, cunctis intus compotantibus, moenia scandit: & oppressos universos inter vinum, ac somnum, capit, aut occidit. Præfectus arcis, vix in turrim fugâ evasit: quam cum fortiter in sequentem usque diem defendisset, ac spes nulla liberationis esset, tandem quoque in Rudii potestatem venit. Qui, abductâ insigni prædâ, & captivis, cum successum rei omnem, & pericula, quæ in expugnandâ arce adiisset, regi postea memorasset; is, virtute, & industriâ, perbenignè collaudatâ, arcem, & adjun-

ctum agrum, ipsi, ac deinde hæredibus, in perpetuum possidendum, liberali manu donat: literasque, quibus hanc donationem deinceps ratam esse velle testaretur, scribi jubet. Quæ &, postquam aliquamdiu latuissent, post Eschilli Bildii mortem, regni equitum tribuni, in ejus scrinio reperiæ, demum ad hæredes veros rediére. Ostrogothi, paullo post Elsburgum captum, in Ericum Erici F. quem, præfectum arcis utrique, cum diffideret rebus suis, se periculo subduxisse, supra dixi, mirum in modum sævierunt; accusantes, quod propenso in Danos animo, præfecturam reliquisset: ac dixisset, *rectè istud accidisse, quod in potestatem ejus arces hæ redactæ essent, ad quem jure pertinerent.* Quâ de causâ, impetu in eum facto, crudelissimè lancinatum conciderunt: frustra obnitente Achone, qui, in humi stratum diu corpore procumbens suo, & jacentem protegebat; &, ut innocenti parcerent, plurimum obtestabatur. Lubecenses, postquam de Suecorum clade accepissent, naves sex è grandioribus, benè instructas, submittere: quæ, secundo vento usæ, sine ullo impedimento, felicissimè mox Stocholmum appulerunt. Postquam verò Steno, cæsis, aut in ordinem redactis, passim regiis præfectis, iterum sibi arces Suecicas subjecisset; videretque omnia ardere bello: ut recuperare posset etiam reliquas, atque tempus ad id sibi necessarium callidè consequeretur, de reginâ, quam captivam etiam tum detinebat, dimittendâ cogitare secum coepit. Quæ dum agit, Raimundus Cardinalis, à pontifice legatus, jubilæum per Germaniam universam prædicabat; ac discordes ditiones ad concordiam revocare satagebat: ut, pacato inde orbe Christiano, bellum Turcis, hostibus nominis Christiani infestissimis, inferretur. Ille, sive à Lubecensibus advocatus, sive animi sui motu, etiam Lubecam venit. Cumque primùm ingressus esset, pompâ sacrorum solenni totâ urbe institutâ, invocare auctorem pacis Deum coepit, ut negotium adjuvare, & consilia salutaria partibus inspirare vellet. Inde literas ad Ioannem regem scribit; postulatque, ut legatos, plenâ potestate instructos, ad constituendam pacem inter ipsum ac Lubecen-

becenses, designaret, mitteretque. Rex, cum literas accepisset, etsi ægrè induceretur, tamen, sibi persuaderi à suis passus, præfuli Othoniensi, & cuidam è nobilitate Holsaticâ, dat negotium. Ad hoc ipse Cardinalis advocare principes vicinos duos; Fridericum, regis fratrem, & Magnum Megapolitanum: tum ecclesiastici ordinis alios quosdam, gerendæ rei peridoneos. Magno initio tumultu agitata causa fuit; clamitantibus sine intermissione Lubecensibus, liberam se, juxtâ vetera privilegia, navigationem cupere; neque adduci ullo sanè modo posse, ut omittere eam velint: & imprimis postulare, ut illata pridem damna sarciantur. Ad quæ alii respondere; non idcirco navigandi libertatem, ac privilegia, à Danorum regibus concessa esse, ut per illa auctis opibus, & potentia, reges ipsos, benè adeò de se meritos, oppugnarent: quin sciendum illis esse, ideò se hæc beneficia accepisse, ut vicissim, quandocumque usus foret, officia redderent. quæ cum ipsi, perduelles adjuvando, maleficiis nunc compensent, non iniquè regem facere, si cum hoste conspirantibus privilegia sua adimat. Quod si postulatis ejus acquiescant, Sueciaque abstinere animum inducant, dum rex armis rebellantes coercuerit; non duntaxat privilegia recepturos, verum etiam, si quæ damna accepissent, ea ipsum vel cum sænore redditurum; atque sic acturum esse, ut, quam optimè secum actum, sint fassuri. Hæc cum animos Lubecensium etiam magis asperarent; perindignum visum fuit, eos regis postulatis, longè æquissimis, tam præfractè repugnare; neque habere honorem ullum Cardinali, aut principibus evocatis, summâ curâ diffidentes ad concordiam revocare annitentibus; atque ea proponentibus, quæ ex re ipsorum esse, & honore, æquis animis meritò videri possent. Ideoque à negotio, frustra hæcenus tentato, discedendum statuebant: rati fore, quod non multò post evenit, uti pacem, quam nunc adeò obstinatè recusarent, tandem, bello fatigati, ultrò peterent. Id cum exploratum haberet Cardinalis, viros quosdam consulares, quos in pacem proniores animadverterat, sevocatos adhortatur; ut, quocumque modo possent, suis suadeant, ne consilia temeraria pertinacius tuerentur, sed fideliter è re publicâ consulentes sequerentur; animoque reputarent, quam

*periculosum esset, hostem, multo viribus superiorem, & conditiones pacis non iniquas offerentem, irritare. Sed, cum neque ita se proficere quicquam intelligeret, animo commotus paullum, ut reprimeret factiosos, palàm edicit; se missurum in Sueciam esse, qui reginam è captivitate suâ mox educeret: tum & Suecis, nisi ad obedientiam regis priscam revertantur, sacris omnibus interdiceret. Quibus minis cum sedatiores essent, tandem in hoc convenere; ut, quemadmodum Cardinalis, ita suos ipsi quoque oratores ablegarent, qui cum Suecis de reginâ liberandâ pertractarent: inde peterent, ut legatos ad Augustiæ diem decimum Sundam mitterent, quò & rex missurus esset: atque porrò de capitibus istis agerent. Nempe, ut rex Lubecensibus, pro illatis pridem damnis, octo millia aureorum representet; &, quas ejus classiarii naves illis abstulissent, quæque superessent merces, restitueret: tum & priscis privilegiis frui sineret, si à Sueciâ abstinerent. Quicquid porrò quererentur, in Holsatiâ suo tempore per legatos commodè transactum iri. Octo verò illa aureorum millia, Fridericus, dux Holsatiæ, præfulesque Othonienses, Lubecensis, Slesvicensis, ac plerique Daniae & Holsatiæ proceres, exhiberent: idque nisi die constituto facerent, Lubeca omnes evocati comparerent, neque urbe, nisi debito persoluto, egrederentur. Quibus rebus ita gestis, non gravatè Lubecenses Sueciam petunt, cum legato Cardinalis: qui, cum primùm in senatu de reginæ liberatione egisset, perbenignè est auditus. quippe Sueci, qui jam indies expectabant, ut Ioannes manu armatâ conjugem suam reposceret; nisi darent sponte suâ, vi eandem erepturus; dimittendæ occasiones, sine redemptionis pretio, vestigabant. Itaque cum acquiescerent, ingerunt se Lubecenses; iterumque compellatis de eadem causâ Suecis, petunt insuper, ut, quo loco statuissent, quoque tempore, oratores suos mittant, cum consiliariis regiis de constituendâ pace locuturos. Quæ cum Sueci se facturos recepissent, è coenobio Alvastrø, in quo contra datam fidem hæcenus custodita fuerat, à Stenone in Hallandiam deducta, & Halmstadii aliquantisper commorata, à primariâ Scaniæ nobilitate, magno eam cum honore excipiente, usque ad fretum comitata est. quo trajecto, occurrens filius Christianus, cum lectissimâ ju-*

cap. 13  
III.

ventute, Hafniam porrò deduxit. Lubecenses, ejus liberatæ gloriam sibi palam vendicantes, gratiamque apud regem eo nomine singularem inuituros se sperantes, Hafniam prosequerentur: verum, aliquamdiu ibi commorati, adeò non gratiam ab eo ullam retulerunt, ut ne quidem in adspèctum sint admitti. Steno, postquam à reginâ discessisset, Ienecopiam reversus, circiter natalem Christi, repentina morte obiit: quam celatam in aliquod tempus, ne in Daniam referretur, Suanto volens, clam cadaver Stocholmum deferri iussit. Inde, longâ disceptatione habitâ, aliis Ioannem in regnum revocandum, aliis gubernatorem novum esse eligendum contendentibus, ad XXI diem Ianuarii Suanto, equitum tribunus ad id tempus, regni deinceps gubernator constituitur. Inter hæc regina redux, verso ad pietatem animo, velut Deo gratias ob liberationem actura, monasterium unum Hafniæ strui curat; alterum Othoniæ destinat, postquam diem obiisset extruendum; idque ex his ipsis ædibus, in quibus defuncta esset: utrunque autem, in sacrarum virginum usum, S. Claræ dedicatum. Inde Sterneburgum abit, voti causâ; atque ibi filiam Elizabetham, Marchioni Brandenburgico pridem nuptam, cum Stocholmi obsideretur, ad se vocat: cujus cum se mox colloquio oblectasset, ad maritum regem redit. Quæ dum fiunt, Suanto, Sueciæ gubernationem adeptus, statim se pro hoste gerere, & Calmarniam obsidere: insuper Henningum Gaddium in Oelandiam, Boringholmo oppugnando, cum armatâ manu mittere. Vtrunque locum rex præsidio satis valido communierat; jam ex eo, quo in Sueciâ regni insigne diadema accepisset. incitabat & Suantonem, quod, Ioanne cum Vandalicis civitatibus occupato, commodam gerendæ rei occasionem nactus esse videretur: quamquam sanè, ipso semper nova auxilia submittente, spes hæc eum frustra habuit. At Ioannes, animadvertens, bellum Suecicum longius fore, quàm speraverat; & Bornholmum item insulam, atque arcem Hamarensis, plurimum momenti habere, ad Suecorum excursionem in mare Balticum prohibendam; sedulò in id incumbibat, uti, quem in modum Gothiam, sic & illam in pote-

state suâ haberet. itaque, cum in archivis invenisset literas quasdam Nicolai, archiepiscopi Lundensis, quibus ille testaretur, se hanc arcem, insulamque, à Valdemaro III rege accepisse, repetenti, quando-cunque id liberet, redditurum; à Birgero, ejus loci tunc antistite, ceu successor Valdemari, ideoque jure in se devoluto, reddi sibi postulavit. quod dum agit, Lubecenses, concitatis in se Megapolitanis, cum nequaquam duplici se bello pares satis scirent, pacem à Ioanne petunt, obtinentque. jubebantur Segebergum oratores suos mittere: atque ibi res tractata, istis legibus. *Nihil ipsi, neu Vandalicæ civitates, ad continuandum bellum, Sueciæ suppeditarent. tum Suecorum naves ullas, sive merces, suis portibus, urbibusve, ne reciperent. Suecos, istis appellentes, comprehenderent: ac, dum ipse constitueret, quidnam factum illis vellet, detinerent. naves, regiis occurrentes, demissis velis, cursum sifterent; literasque, & merces suas, inquirendas exhiberent: iterum mox dimittendæ, si nil rerum Suecicarum vehere deprehensa essent. denique ereptæ naves, quæque superessent merces, redderentur.* Atque has condiciones Lubecenses accepere; & promissere, etiam se effecturos, ut iisdem mox subscriberent Dantiscani, Revalienses, ac Rigenses. quanquam illud frustra fuit; iis istud recusantibus, ac negantibus: *approbandum sociis id civitatibus universim, quod privatim Lubecenses, in rem suam, pacti essent.* Quibus actis, denuò in Suecos rex exercitum ducit, Scaniæ confinem oram quàm gravissimè affligens. quâ calamitate pariter ac secessu Lubecensium, qui seorsim pacem sibi impetraverant, motus Suanto, proceresque regni alii, sibi quoque pacem petere statuerunt. itaque legatos mittunt, postulantque; ut Calmarniam, ad XXV Junii, rex adesse illis velit. quod si facere non detrectet, se sperare, rationem inventum iri, quâ regnorum ruptam toties concordiam stabilire tandem aliquando possent. Rex, quantumvis nihil minus constituerat, quàm Suecorum, qui jam toties fidem suam fefellissent, postulatis aurem dare; tamen, cum legatus Scoticus, qui ad pacem adjuvandam tunc advenerat, intercederet, passus est se permoveri. Postquam verò dies pridem ad negotium pertractandum constitutus advenisset, rex Cal-

cap. 13  
IV.

cap. 13  
IV.

cap. 13  
V.

cap. 13  
VI.

Cal-

Calmarniam se recepit; quò legatus quoque Scoticus, & Norvegiæ senatores, tum legati Electoris Brandenburgici, ducum Megapolitanorum, aliorumque vicinorum, & Vandalicarum urbium, convenere: soli Sueci, qui conventum postulârant, minimè comparuere. Cùm, sat diu expectati, non venirent, rex ablegat, qui citarent, monerentque; *ne committant, ut negotium adeò grave, borealibusque regnis universis salutare, verbis tantum, ad fallendum comparatis, agitasse videantur: itaque adesse velint, & tranquillitatem publicam suis etiam consiliis adjuvare. Ipsos beneficii loco hæc comitia petiisse, se benignè concessisse: quæ in præsens si contemnant, notam sibi levitatis, nullo modo excusandæ, sempiternam iniusturos. Cogitent, suam hinc existimationem verti: cuius tantum ferè habere quisque soleat, quantum fidei.* Nil legati potuere; nisi, ut venturos se pollicerentur: quanquam tamen ne sic quidem præstiterent. Itaque rex, nequicquam ipsis expectatis, cùm ludibrio se haberi animadverteret, convocatis Daniæ pariter ac Norvegiæ senatoribus, literas Suecorum profert, quibus illi fidem suam obstrinxissent. Quibus lectis, cùm constaret universis, Suecos neque fidei suæ, toties datæ, neque etiam literarum, ullam planè rationem habuisse; ac prætereà, jam iudicium aliorum de se subterfugiendo, reos sese perduellionis esse, absentiam suam manifestò testarentur; ne in causâ ipse propriam iudicare voluisse videretur, senatores, quos jam dixi, sententiam rogat. hi pronuntiant, *cùm Stenonem, tum Suantonem, aliosque, qui his literis subscripsissent, perduelles, famam, & bonis, excidisse.* quam sententiam, ne in gratiam ita suam protulisse viderentur, Maximiliano Cæsari, quanquam ei non subiectus, porrò disquirendam mittit. isque, ritè examinatis rebus omnibus, in iudicio prolatis, & probavit, & in suo quoque Imperio promulgavit; illic quoque tanquam à se lata esset, ratam eam esse volens: eamque in rem diploma edidit, ad secundum diem Octobris anni proximè infecuti. His peractis, rex sententiam typis primum excudi curat; inde, exsequi eam cupiens, bona damnatorum omnia, quæ in Daniâ, aut Norvegiâ, fisco addicit: literas quoque Imperatoris per Vandalicas civitates omnes publicari jubet, & edicit;

*ne quid rerum necessariorum in Sueciam deinceps mittant: neu stipendia illis faciant, aut commercia ulla habeant, si posthac in regno Daniæ privilegia sibi sua facta tecta esse velint.* Sueci, acceptâ tam insigni contumeliâ, cùm se tanquã perduelles, atque reos malestatis, per Imperium universum jam traduci intelligerent; pudore acti, ut opprobrio se eximerent, regem Hafniæ advenientes, iterum de impetranda pace agunt: sed, cùm toties fidem suam fefellissent, vix inducias, atque has in paucos menses, acceperunt. Quæ dum fiunt, Lubecenses, pace jam cum Megapolitanis factâ, novi contra Daniam belli occasionem quæsiere: invidiam in regem moti, cui feliciter, quam optaverant, res cum Suecis successisset. Itaque, ut impedimentum aliquod transversum objicerent, contra pacta, pridem inita, non Suecorum tantum naves, atque merces, clam in portus receperunt; sed subsidiariorum etiam quicquid poterant submiserunt, ac, cùm naves tradi sibi, juxta pacta, rex exigeret; urbium Vandalicarum eas esse, respondebant. Quibus rebus nuntiatis, rex præfectis classariis rursus mandat; *providerent, ne quid sive Lubecenses, sive Vandalicæ urbes aliæ, fraudis facerent.* Itaque captæ naves multæ, & in portus proximè adjacentes ductæ, venditis vili pretio mercibus, magnum Hafniæ, ac Malmogiæ, incrementum attulere. Quæ ut postea Lubecenses, & Vandalicæ civitates, acceperunt; mittunt, qui ereptas naves reddi sibi postularent: quibus hoc responsum datur; *quando ipsi contra pacta Suecis merces submiserunt, eas jure captas esse.* Quâ de causâ iterum tumultuantes Lubecenses, arma poscunt: verum, bellum dissuadentibus, qui prudentiores erant, paullulum conquiescere. ne deseruisse tamen ideò Suecos viderentur, clam confirmant illis animum: ac præsidium, quæque alia belli instrumenta essent, pollicentur. His promissis incitatus rursus Suanto, ante finem induciarum, quas non ita pridem à rege satis anxie postulaverat, factâ in Blegingiam irruptione, arcem Lycham capit, diripit, & incendit; ac cum prædâ properè in Sueciam redit. quod ut Severinus Norbius, classis regiæ præfectus, intellexit, in Finlandiæ portum invehctus, omnia vicissim

ferro, ac flammâ, perdens, Castelholmum, igne injecto, æquat solo: tum & Stenonem Tursonum, unum è primatibus regni, cum uxore suâ capit, & in Daniam cum ingenti prædâ abducit. quâ re plurimi optimates, sanguine Stenoni juncti, cum propinqui sui vicem, ac tot item aliorum, deplorarent, iterum sibi annitendum existimarunt, ut negotium denuò pacis ageretur. Neque tunc avertit animum rex benignus: quanquam meritò, tam multiplici offensâ, alienus esse posset. itaque comitia complura habet; Helsinburgi, & Vorbergi: inde Hafniæ, & Malmogiæ. ac inducias rursus admittit, in undecimum Novembris; eâ lege, *uti regem ipsum Sueci vel acciperent; vel afferrent rationes, propter quas prohiberentur. quas afferre si non possent, tum aut ipsum, aut filium ejus Christianum, quem Stocholmi, annis aliquot elapsis, regem ipsi unanimiter appellassent, patris loco Sueciæ gubernatorem constituerent. aut, si neutrum horum vellent, tredecim selibrarum Holmensium millia quot annis penderent: operasque militares, quotiescunque poscerentur, exhiberent. Calmarnia insuper, & Oelandia, tum adjunctæ illis arces, quas presidio communierat, porrò in ejus potestate permanerent: integrumque ipsi esset, per induciarum tempus, novo eas commeatu, ac presidio, magis etiam firmare. quicquid verò harum rerum fieri vellent, id Malmogia per legatos ante diem III Kal. Octobris declararent: interimque interdictum; quo vetuerat, ne res ullas necessarias quisquam in Sueciam importaret, nihilominus servaretur.* Quo edicto certè Suecos, Lubecenses, sociasque civitates, in angustiam hanc redegit, uti fame partim acti, partim armis superati, pacem petere cogerentur. Sed, cum dies constitutus advenisset, neque Sueci, uti pactum, comparerent; rex, delusum se ab illis indignatus, denuò, Decembri mense ineunte, in Westrogothiam arma movet: ac, direptâ incensâque urbe Losâ, & abductâ magnâ prædâ, mox in Scaniam revertit. quibus Suanto intellectis, ut ulcisceretur cladem, rege in Daniam regresso, ipse in Scaniam excurrit; ac vicissim urbem Weum, obviasque in illo tractu arces quasdam, diripit partim, & incendit: spoliisque opimis ovans, nil cunctatus, retrò in Sueciam copias ducit. inde oratores mittit, postulatum; *ut conventus,*

*qui Malmogia pridem indictus, ad vicesimum quartum diem mensis Junii, anni proximè sequentis, repetatur: habeaturque seu Calmarnia, sive etiam Scheris Suecicis: loco ita nuncupato, quod angustum illic mare rupes facerent, hic regnorum trium proceres novam pacem constituerent, in perpetuum valituram; eamque in rem captivi utrinque luerentur, & dissidiorum auctores dederentur: quæque pars conventis istis stare nollet, ante proximi Decembris diem quintum & vicesimum alteram certiore faceret.* Neque rex hæc recusabat; nisi quod Calmarniæ comitia haberi vellet. Sed Vandalicę civitates ne hanc quidem pacem diu ratam esse voluere. nam, ut Suecos suo exemplo confirmarent, primi bellum Lubecenses inchoarunt; quinque navibus, omni rerum necessariarum copiâ instructissimis, Revalliam in Livoniam missis: ubi commutatis mercibus, ac cum Suecis novo federe clandestinò constituto, prius domum revertuntur, quàm ad regem fama rei perveniret. qui quantumvis admodum indignaretur, temerè aded ruptam pacem, quam vix pridem multis precibus impetraverant, tamè id dissimulandum in præsens duxit; dum, quæ porrò agitent, intelligeret: ac, quid sibi in hoc negotio statuendum, circumspiceret. Illi verò, nil cunctati, anno proximo, in consilio persistentes, naves octo in Sueciam mittunt. quod rex postquam intellexit, cum senatu rem communicat. quippe sic existimabat, suâ illos lenitate, ac coniventiâ, contumaciores fieri; quasi metu, potius quàm pacis studio, cunctaretur. placuit itaque, hunc contemptum vindicare. Quare ita constitutâ, mox profectus in Holsatiam, cum pertrahere in societatem belli fratrem Fridericum vellet, alieno ejus animo, quod cum Lubecensibus ipse pacem recens iniisset, nō successit hoc consilium. inde, ut magis jure se, quàm armis, experiri velle, omnibus testatum faceret, causam arbitrandam offert: ac significat, *judices capere, archiepiscopum Lundensem, & episcopum Roschildensem; tum senatum Hamburgensem, ac Luneburgensem: ad hæc Angliæ item regem, aut Imperii si quem Electorem mallet: quibus quicquid videretur, ratum se deinceps velle.* placuitque Lubecensibus in principio hæc conditio; & accipere eam sese, missis literis, sunt testati: sed, sententiâ mox mutatâ, à proposito

posito recessere. idque solum aliquorum interventu constitutum; ut pax quidem in ducatibus servaretur, sed cum regnis bellum esset. Quæ cum ita se haberent, rex ab Angliâ, Scotiaque, auxilium navale petit; tum ut mercatoribus quoque Lubecensium, quotquot intra regna sua deprehenderent, & eorum bonis omnibus, manum injiciant: se propediem missurum, qui cum illis jure agant. neque cessant Lubecenses; & , firmandis rebus suis, nuntium ad Imperatorem Maximilianum mittunt, obtinentque: ut is literas ad Germaniæ principes daret, juberetque, *in tutelam Lubecensium contra regem excubare: nec permittere, uti in stipendium ejus milites ulli ditiones suas transeant.* quin ad regem etiam scribit, postulatque; *ne commercia Lubecensium, quæ in mari Baltico ipsi hæcenus libera habuissent, ullo modo impediret, aut turbaret.* sed hæc Cæsaris intercessio, Galliarum regis operâ, irrita fuit. Asperatis in hunc modum partium utrinque animis, rex, ut navigatione Lubecenses prohiberet, & commercia impediret, apparatis rebus omnibus, navium viginti quatuor classem instruit: ac præfectis dat mandatum, *ut, inveci Travemundam, Lubecensium ad Travæ fluminis ostium portum, providerent, ne in urbem rerum necessariorum aliquid importaretur.* Ea res non parum animos Lubecensium perturbavit, uti, ceu obsesâ urbe, concurrentes, in tumultu arma poscerent; cum non multis post diebus, naves, quas Revaliam missas paullo ante memoravi, rerum omnium ignaræ, juxta Danicas appulere: quæ, in eas inter Dassum & Wernoum factò impetu, facile omnes expugnassent; nisi, prædæ nimîâ cupiditate, in prætoriam incurrentes, tresque alias minores, quas cepere, cæteris effugiendi potestatem concessissent. Quibus hunc in modum gestis, classis regia, captas naves secum abducens, domum abit. contra verò Lubecenses, ut acceptum nuper damnum repararent, Danos omnes, nautas, atque mercatores, tunc in urbe deprehensos, statim arripiunt, & obstringunt vadium, ne discedant inde prius, quàm, soluto pretio redemptionis, abeundi potestatem impetrassent. His in Daniam nuntiatis, rex vicissim omnes toto passim regno

Lubecenses, & eorum bona, detinet; inde edicit severissimè, *ne Lubecam post id tempus quisquam quicquam importare, aut commercia illic ulla habere, ausit: qui contrarium admisisset, capite, & bonis, lueret.* Lubecenses, cum & suos passim à rege detineri, & edicto tã severo Danos urbe prohiberi, accepissent; literas ad regem mittunt, & dimitti mercatores suos petunt: quibus ille respondere; *si injuriam incæpisse sese ipsi faterentur, liberosque in regnum Danos, quos injustè detinebant, redire sinerent, tum se id facturum esse.* Inde, ad confœderatos sibi reges datis literis, de injuria Lubecensium graviter queri: moxque Sueci, qui proscriptionem Cæsaris animo iniquo ferrent, ut honorem, quo privatos se videbant, repararent, rursus in Daniam ablegant, pacem à rege oraturos. qui cum ipsum Helsingburgi adissent, eam accipiunt: illis legibus, quæ Vorbergi dictæ erant. Quibus gestis, cum in Sueciam redissent, Suanto ita oratorum acta invertit in senatu, ut in bellum denuò suorum animos concitaret. cumque gravi rerum necessariorum egestate premeretur, Lubecenses, sociæque civitates, auctumno proximo naves bellicas octodecim, panno, sale, mercibusque item aliis, quibus maximè indigerent, oneratas submiserunt. quæ Stocholmum cum feliciter pervenissent, ac retrorsum se reciperent, ortâ gravi tempestate, quinque ex iis grandiores periire; cæteræ, amissis armamentis, pars Dantiscum appellentes, ibi hiemem exegerunt: pars vix domum sunt reversæ. Cujus rei postquam fama in Daniam allata esset, rex, in tantâ consternatione omnium, rei prosperè gerendæ occasionem datam ratus, ocyus triginta naves, remigumque, ac classiariorum militum, magnum in iisdem numerum, versus Travemundam mittit. qui cum, vento aquilone paullo vehementiùs flante, portum urbis, sicut jussi, minimè intrare possent, finem maris, cui à novâ civitate nomen datum, subeuntes, postquam illic exscendissent, pagos aliquot Lubecensium populati, cum ingenti inde prædâ Oldefloum se recipiunt; ubi dum expectant hostem, si fortasè is erumperet, Lubecensibus commovere se non ausis, urbis Travemundæ cives, solis octo

C10 10  
VIII.C10 10  
IX.

Scaphis vecti, naves aliquot onerarias, nullo tunc præsidio tutas, capiunt partim, aut incendunt: & his actis, sine ullâ suâ clade urbem repetunt. Tandem, motis inde castris, postquam Dani domum suam rediissent, rex Ioannes ab Anglorum & Scotorum regibus confœderatis, scriptis literis, iterum auxilium navale petit: tum & postea, ipsis ad hæc conniventibus, toto utriusque regno per præconem palam edicit; si qui nautæ, militesve, ad navale contra Lubecenses bellum, & eorum fœderatos, suâ fortunâ gerendum, comparare sese vellent, ut quamprimum, mare Balticum ingressi, piraticam liberè exercerent: habituros non duntaxat liberos omnes Daniæ portus, verùm ipsum quoque regem, horum quæ in Lubecensium detrimentum perpetrassent, defensorem. Id Decembri deficiente actum fuit: moxque tanta piratarum multitudo mare Balticum infestavit, ut non tantùm Lubecensibus; sociisque civitatibus, sed & Suecis, interclusum illud fuerit. Quæ in mari dum geruntur à piratis, classem etiam rex instruere, eamque in Finlandiam mittere, ducibus Severino Norbio, ac Tilemanno Giselio. Atque illi, commodâ tempestate usi, postquam istuc appulissent, militemque exposuissent, urbem Abonem, sede episcopali insignem, populati, cum ingenti inde prædâ mox in regnum revertuntur. Quibus malis acti Sueci, uti se, suosque omnes, à direptionibus istis liberarent, Hafniam legatos mittunt, qui decretum, pridem Helsingburgi factum, revocarent. Ac Ioannes, quanquam, toties rebellantibus, fidem habendam non censeret, tamen, regni utriusque optimatibus id suadentibus, acquievit. Itaque induciæ datæ, in has leges; Sueciæ proceres ex redditibus ejus regni Ioanni regi annis singulis tredecim selibrarum Holmensium millia penderent: eamque summam in Calmarniensi arce circa desinentem Iunium sine morâ ulteriore, exhiberent. idque facerent, donec, de consensu regis, procerumque, aut Ioannem Sueci solio, de quo per vim deturbaverant, restituerent; aut, si illud potius vellent, filium ejus Christianum, quem Stocholmi anno C10. cccc. xcix. unanimiter elegissent, regem facerent: conventum verò in Suecia limite, ubi mare inter rupes coarctatur, loco admodum opportuno, celebrarent. Ac, si proceres regni Sueciæ

ad xxiv Iunii hunc conventum esse vellem, eâ de re ante Domini natalem regem certiores facerent: quod vicissim à rege fieret, si is forte impeditus ad conventum illo die adesse haud posset. neque tamen prorogationem istam summæ rei quidquam detracturam esse. Actum autem illic iri, de negotiis, litibusque, & petitionibus regis, regni Sueciæ optimates, ceterosque item incolas, concernentibus; tum de arcibus, Bornholmo, ac Calmarniâ, insulæque item Oelandiâ: porrò & nobilium bonis, passim in Daniâ publicatis. Arcibus verò, insulæque, quæ jam dièta, cum advectione liberâ, uti & evetione, rerum necessariorum, regem fruiturum esse, dum conventus finem suum consequatur. Contra redditus, & possessiones omnes, quæ pertineant ad Calmarniam, arcem pariter oppidumque, in Suecia procerum potestate deinceps fore. Bona verò, ad Oelandiæ monasteria, & ecclesias, pertinentia, illuc reditura esse: ac mansura, dum conventus finiatur. Ac, quam diu bellum foret inter regem, & Lubecenses, Sueciæ incolas qualescunque nec auxilium allaturos, neque quicquam subvecturos, antequam in regis gratiam revertantur. Inter ista, regem classiariis suis, & militibus, edicturum, ne quod ultra Suecis damnum dare audeant, neu commercia quoque eorum interturbent. Denique, dum hæc aguntur, si rex fortè vitâ excederet, Christiano, ejus filio, jus in Sueciam universum, quod electione liberâ nactus esset, integrum, & illæsum, fore. His capitibus pax statuta: sed non diu rata fuit. Quippe anno insequente Lubecenses, ac pleræque fœderatæ civitates, ut, quæ acta inter regem & Suecos erant, perturbarent, bellum, pridem palam gestum, regi indicunt, ad diem Maji xii. in quod tamen Hamburgenses, non se causam justam habere protestati, nullo modo consentire. Sed præcipientes odio suo Lubecenses, postquam Suecos de consilio certiores reddidissent, nullo auxilio sociorum expectato, statim post indictum bellum, cum rex nullam etiam tum irruptionem pertimesceret, navium sex bellicarum classè instructa, mare Balticum infestant. ubi postquam ad Gessoram cum excubitoriis navibus regiis tribus aliquamdiu dimicassent, tandem, sese subducentes, Langelandiam cursu celeri contendunt. In quam ubi exscendissent, & incensis villis proximis, hac atque illac grassarentur; insulani,



lani, raptis armis, occurrentes, eos fortiter propulsant: tum, ad ipsas usque naves persequentes, sepositam in littore prædam rursus extorquent. Rex, quo suos tueretur, naves Gallicas, Scoticasque, & Anglicanas, in mari suo deprehensas, detinet, & bello parat. Quod dum lentius molitur, Lubecenses, expeditâ rursus classe, circa Iunium ineuntem, Monam insulam invadunt. Hanc tenebat regis nomine Andreas Bildius; vir, ut genere, sic virtute militari juxta præstans. Qui cum hostem advenisse accepisset, statim insulanos cogit: tum & tela, commeatum, quæque ad vim propulsandam, aut obsidionem etiam tolerandam, necessaria, in oppidum, & arcem Stegam, oppido conjunctam, infert. Muros quoque ocius reficit: & cuique, si ad urbem oppugnandam accedat hostis, stationem suam assignat. Quin & magnam copiam ferventis aquæ, ac permittæ calce picis, oppidanos intra mœnia in lebetibus, & caldariis, apparare item jubet: ut mulieres, senes, pueri, quos seu ætas, five sexus, à militia prohiberet, in oppugnantes ea effunderent. Ita rebus intra urbem ordinatis, exscendere in terram hostes sinens, suos intra vallum cohibet. Hostes, metum esse rati, summâ cum securitate excurrentes, cuncta ferro, ac flammâ, vastant: inde, ad oppidum accedentes, oppidanos, tanquam non prodire ausos, ad conferendam manum provocant. Qui cum sese nihilominus continerent, illi, multò audaciores, mox contemnere etiam eos planè incipiunt. Itaque invadunt urbem magno impetu: ipso duce Storterbolio, ut exemplo incitaret, præeunte. Subire vallum conabantur: ne tormentis, si quæ essent, lædi possent. Proruebant sine ordine, tanquam urbe sine negotio potituri. Id præfectus cum videret, dato signo, illicò tormenta explodit: inde in vallum enitentes, quibus id mandatum erat, aquam effundunt ferventem, ac permistam calce picem. Quâ re postquam multi caderent, tandem, animum despondentes, cæso duce Storterbolio, pedem ipsi retulere. Oppidani, fugientes insecuti, plures etiam trucidarunt: accurrente passim ad cædem adjuvandam magnâ ex agris multitudine, cujus domos

ipsi incenderant. Quarum rerum cum rex nuntium accepisset, mittit illicò, qui præfecto, & insulani, pro virtute, atque fide, gratias ageret; tum memoriam rei tam præclare gestæ sempiternam sibi fore pollicetur: insuper præfectum monet, ut excubias toto littore, sicut olim usitatum, deinceps ordinet, ne injuriæ porro faciles opprimi ab hoste possent. Hâc in Insulâ novâ clade nil dejecti Lubecenses, Langelandiam iterum tentare statuunt: sed, ut pridem, propulsati, cum ne exscendendi quidem, nisi cum ingenti strage, copia esset, in mare Balticum deflectentes, classem ad Elsingoram sistunt. Cumque excursionem illic etiam prohiberentur, undique munito littore, & præsidio excubante: postquam aliquot tormenta, nullo oppidanorum damno, explosissent, naves quasdam onerarias, ante urbem sine custodæ fluctuantes, partim incendunt, partim capiunt, & abducunt Travemundam. Vbi dum, exiguo aded operæ pretio, aliquantisper commorantur, copias majores sibi collecturi, classarii in tumultum proruperunt; ac, senatum de suscepto temerè in regem bello accusantes, missionem flagitarunt: quidam etiam postularunt, ut direptio, præter sumptum, ac stipendium, toto regno libera permitteretur. Quam tametsi mox senatus indulgeret, non blanditiis nihilominus, aut promissis, permoveri potuerunt, uti denuò navigationem in Daniam infestandam instituerent. Postquam verò Lubecensibus, focisquæ civitatibus, res pro voto non succederet, aliud consilium capiunt. Itaque, legatis missis, rogant Suecos; *quando mari minus prosperè hæcenus bellum gestum esset, uti terrâ hostem invaderent: se, quod possint, omni ope, & consilio, adjuturos: nec in mari intereâ quicquam cessaturos.* Hanc legationem Sueci, more suo, pronis animis acceperunt; & Achonem, cum equitibus septingentis, in Hallandiam immisere. Cujus nuntiato adventu, Tucho Crabbius, vir nobilitate generis, & peritiâ rei bellicæ, inter primos, cum proceribus Scaniæ reliquis, jussu regis ocius collectis copiis, sese objicit. Antequam verò arma conferat, consilia hostis, numerumque copiarum, explorandum sibi censet. Itaque Tordonem mittit, rusticum

sticum quendam, Achoni notum, cui pridem operam eandem dederat, in prodendo Scaniae statu. Is Achonem, cum exercitu occurrentem, properè adit, & salutat; tum precatur fausta omnia, ac sperare de successu benè jubet: facile hostem, si maturet, opprimi posse. Acho, vera eum memorare ratus, quantà potest mox celeritate utitur: interim Tordo, clam dilapsus, recipit se ad Tuchonem, nuntiatque; hostem in propinquo esse; & itinere festinato, parum ordinato agmine, commeare. Quo audito, Tucho suos, pabuli parandi causâ palabundos, statim cogit: hostem, ubi primùm occurreret, aggressurus. Tum deliberat, quonam illud loco faciat: utrum in aperto campo adventantem operiatur, an verò incautum invadat. Erat media inter utrumque; exercitum silva; & in hac profunda vallis, rivo quodam intercisa: hinc subsistere Tuchoni, & hostem expectare placuit. Acho, inordinatâ acie, inter primos silvam ingreditur: cumque in vallem pervenisset, Tucho, classicum canere tubicinem jubens, impetu in eum facto, pugnam orditur. Acriter certatum utrinque, equo aliquantisper Marte: donec mox Laurentius Frostius, Birgeri filius, summi Daniæ antistitis, vire questri dignitate, & strenuitate, clarus, dimicantem in lævo cornu Achonem invadit, & adactâ in adversum hastâ, sternit. Quo cadente, consternati cede ducis sui cæteri, statim in fugam se conjiciunt: in quâ à persequentibus Danis multi cæsi, plures capti: plurimi, silvæ beneficio, evasere. Achonis cadaver inquisitum, & repertum, ante Helsinburgum arcem, in monasterio illic sito, tumultatum. Abducta inde signa aliquot militaria, unâ cum vexillo regni: quæ mox Hafniam allata, cum captivis, læto vultu rex accepit, & virtute singulorum collaudatâ, gratiisque item actis, proximâ dominicâ die, præferente regni Suecici vexillum Tuchone Crabbio, qui & prælio eo ductor quàm fortissimè sese gesserat, & captiva signa abduxerat, pompam ex arce in primarium templum duxit: ac, peractâ re divinâ, gratiisque pro victoriâ tam egregiâ Deo dictis, suspensa è fornice capta signa, seu opima ex hoste spolia, dedicavit. Suecos verò, ut hanc cladem audi-

vere, tantus illicò metus cepit, ne in regnum totis copiis Dani irruerent, ut Antonium Tursonum ad Georgium Baalium, Russiæ principem, ablegarent, qui inducias sexaginta annorum peteret: ne, utrinque hostibus septi, tantò gravius premerentur. Contrà rex, cum imparem se navibus adhuc sentiret, undique tot in se hostibus concurrentibus, à confœderatis regibus, Galliae, Angliæ, Scotiæque, emptas magno ære naves Hafniam traduci jubet: atque ipse, ne cessaret, domi intereâ duas parat, multo opere munitas, ut telorum nullâ vi aut lacerari, aut perfringi, facile possent. Insuper & in Lalandiâ arcem Engelburgum struit, undique circumfluo mari: ut refugium insulanicum ea esset, contra Lubecensium, & sociarum civitatum, incursionem. Naves rex cum exstruxisset, id potissimùm accuravit, ut instructas milite juxta, ac commeatu, mox in hostem educere posset. Item, edicto renovato, graviter vetuit, ne è subditis suis quicumque commeatum Lubecensibus, aut eorum foederatis, ullum afferret: si quis contrà admisisset, is delictum capite, bonisque lueret. Quâ re factum, ut Lubecenses, atque Sueci, brevi tempore rerum necessariorum egestate quàm gravissimè laborarent. Cui malo id incommodi accedebat, ut non tantum nihil Dani, edicto regio prohibente, importarent: verum etiam, si quæ ipsi aliunde apportari curavissent, ea omnia classarii, qui per mare jussu regis excubabant, sæpe intrâ urbium portus, in conspectu habitantium, intercepterent. Porro, cum Suecorum cladem, in Hallandiâ pridem acceptam, Lubecenses rescivissent, pacatis illico militibus, aliquândiu jam in urbe tumultuantibus, denuò iis contra regem opem suam pollicentur; postulantque, quoniam terrâ non successerat, uti mari etiam bellum adjuvarent, quo communem sibi hostem melius superare possent: cujus vires, quæ paullatim incrementum capiebant, ni celeriter frangerentur, mox ex æquo universis meritò formidandæ essent. Sueci, qui Calmarniam, Suantonis jussu, contra pacta obsidebant, interfecto duce Achone, ac deletâ magnâ copiarum parte, cum periculum partim suum, partim sociarum urbium, animad-

verterent, nec se diu tutos fore, admitte-  
 re promissa civitatum auxilia non recu-  
 sant: mox deliberant, de legatis ad sena-  
 tum Lubecensem amandandis, qui de bel-  
 liratione in commune consultarent. Inter  
 ista Lubecenses, non cunctati, dum lega-  
 ti advenirent, adjutantibus foederatis ci-  
 vitatibus, navium sex & viginti classem  
 mittunt: ac praefecto dant mandatum, ut,  
 cum primum Suecis sese conjunxisset, im-  
 petum in regem faceret. Hic, cum clas-  
 sem mox solvisset, ac Bornholmo propin-  
 quaret, sistit cursum: & ablegat, qui in in-  
 sulam exscenderent, & indicerent tribu-  
 tum, nisi graviter incolae infestari mallent.  
 Qui cum illud denegassent, mittit aliquot  
 cohortes, praedam acturas. Insulani arma  
 sumunt, & in littore occurrunt; & ex-  
 scensione quidem prohibere, quantum  
 possunt, annituntur: sed, nec numero, ne-  
 que apparatu, pares, interfectis primo  
 praelio nonnullis, in interiorem insulam se  
 recipere sunt coacti. Vbi dum, incensis  
 pyris, more patriae usitato, hostium adven-  
 tum indicant, atque suos undique ad pu-  
 gniam cogunt, longius progressi hostes, pa-  
 gos quosdam juxta littus populati, & ab-  
 ducta in naves praeda, in Calmarniensem  
 sinum iter institutum capiunt: quod cum  
 classem appulissent, Suecis, arcem ejus ur-  
 bis obsidentibus, promissa pridem auxilia  
 ferunt. Qui, ne sociis deessent in periculo  
 communi, naves paucas, quas instructas  
 tunc habebant, sub ductore Henningo  
 Gaddio, Lubecensibus submitunt: plu-  
 res etiam pollicentes, postquam urbem  
 expugnassent. His acceptis Lubecenses,  
 mox Blegingiam praetervecti, pagos lit-  
 tori adjacentes igne exurunt. Hinc dela-  
 ti in interiores sinus maris Baltici, Suecis  
 sese conjungentibus, in Lalandiam ap-  
 pellunt. Vbi cum cohortem unam expo-  
 suissent, quam latissimè se diffundere, &  
 clamore omnia implere jubent, ut percul-  
 sos metu incolas dissiparent: & efficerent,  
 ne coire in unum auderent. Mox, cum  
 copiis universis exscendentes, Nachsco-  
 vium oppidum, nec praesidio, nec munitio-  
 ne firmum, improvisè invadentes, popu-  
 lantur, & incendunt, nec religio mona-  
 sterium, illic adsitum, tuebatur. Incolae,  
 clamorem hostilem audientes, cum incen-

dia item passim, & direptiones, cernerent, cito  
 consilii inopes, trepidant primò, fugiuntq;:  
 mox, hortantibus, quibus paullo majus a-  
 nimi robur erat, diuturnitate belli compa-  
 ratum, colligunt se, & arma capiunt. In-  
 terim, coacta praeda non exigua, dum ad  
 naves hostis properat, fortè rumor incre-  
 bescit, adventare classem regiam. quo  
 perculsi, ita quique properanter navem  
 petunt, metu ne intercludantur, ut, quo  
 expeditius fugerent, magnam praedae par-  
 tem abjicerent. Cumque in naves evasis-  
 sent, duces suos circumstantes, uno ore  
 omnes jubent, ut Lubecam se reducant:  
 gravia quaeque comminantes, nisi statim  
 illud faciant. Neque illis confirmare ani-  
 mum potuit, quod sub isthoc ipsum tem-  
 pus naves aliquot onerariae Lubecensium  
 commeatum, ac mille militum supple-  
 mentum, apportarent. Etenim, cum hac  
 occasione duces persuadere conarentur,  
 ut Fioniam, rebus omnibus necessariis ab-  
 undantem, incurfarent, praedam illinc sine  
 periculo luculentam abducturi, iterum  
 clamore incondito se Lubecam abduci  
 postulant: ac, si nolint, sese vim facturos  
 esse, palam edicunt. itaque Lubecam re-  
 deunt. Interim Sueci per legatos denuò  
 cum Lubecensibus de gerendo deinceps  
 bello consilia agitant. Quà de re cum in-  
 ter ipsos convenisset, uti viribus conjun-  
 ctis terram pariter marique simul hostem  
 impugnarent, Lubecenses hos legatos  
 ineunte mense Octobri octo navibus re-  
 duxere. cumque eos ad Bornholmum,  
 tanquam nullum amplius periculum foret,  
 dimisissent, regiae occurrunt totidem: quae  
 cum illis diu acriter praeliatae, aegrè tan-  
 dem nocte interveniente dirimuntur. Ac,  
 quantumvis aequo satis Marte dimicatum  
 esset, Lubecenses nihilominus, non tenta-  
 re belli aleam ultra ausi, noctis ejus bene-  
 ficio in vicinos Sueciae portus se recipi-  
 unt. Dani verò, postquam hostem aufu-  
 gisse postero die animadvertunt, rati, quod  
 res ipsa erat, in Sueciam cepisse fugam,  
 quàm celeritate possunt, insequuntur: at,  
 cum nusquam apparerent, verso inde in  
 Gothiam cursu, atque ibi pauca quaedam  
 cum praefecto colloquuti, Hafniam rede-  
 unt. Ac tum demum Lubecenses, redi-  
 tum jam tutum nacti, ipsi quoque domum  
 suam

suam circa brumam petierunt. Proximo deinde vere, magnis jam acceptis damnis, nullam educere classē ausi, civibus tumultuantibus, ac fortunam belli iterum experiri cupientibus, liberam in regni incolas prædam iis permisere. Itaque Conradus quidam, cui Regulo cognomentum, cum navigia sibi aliquot speculatoria instruxisset, oneraria, ac vectoria, amplius triginta capit, aut exurit. Quâ dere cum quererentur apud regem, quorum id detrimentum erat, is, suorum damno motus, ut excursionē hostem prohiberet, mense Majo, navium viginti classe comparatâ, sub Ioanne Holigero, occupare Treve-mundam, & exurere omnes illic naves, jubet. Sed, cum Danos imminere comperissent Lubecenses, quicquid ibi navium erat, è portu in interiorē urbis sinum subduxere; ubi tutiores essent, ac defendi faciliè possent. Itaque direpto portu, & incensis ædificiis suburbanis, sinus omnes maris Baltici diligenter Dani explorant; ac Vandalicarum urbium mercatores, ubicunque deprehensos, intercipiunt: bonis horum inter sese distributis, aut vilissimo etiam pretio venum datis. Quin majora quoque ausi, in Vismariensem portum invadentes, naves quatuordecim capiunt; inde, in terram descendentes, domos omnes usque ad portas civitatis, igne injecto, solo æquant: civibus se intrâ mœnia continentibus, nec prodire ad pugnam ausis. Quibus ita illic gestis, Warnemundam mox petentes, prius eò deferuntur, quàm cognosci famâ posset, quo in loco res Vismariensium essent. Et, expositis ocyùs copiis, Warnemundam primo impetu diripiunt; hinc ulterius progressi, & agros passim populati, magnâ ad littus prædâ actâ, pagos plures Rostochiensium igne exurunt: nullo factō prædæ, & incendii, fine, antequàm Rostochiensēs, fumum è mœnibus circumquaque conspicati, arma civibus imperarent. Qui dum se ad pugnam parant, comportatâ in naves prædâ, Dani retrò pedem ferunt, & in Rugiam devehuntur. Vbi factâ ad Iasmundam excursionē, ac præfecto profligato, qui cum paucis se objecerat, Stralsundensium pagos vastant. Qui, ad famam hujus rei, ut auxilium laborantibus suis ferrent, statim

pedites octingentos, modicumque equitatum, cum tormentis aliquot bellicis, in insulam transmitti curant; eâ spe, dum ipsi à fronte hostem occupant, fore, ut præfectus insulæ cum suorum aliquâ manu tergum invaderet: sed, jam illo profligato, postquam soli dimicarent, nec auxilium insulani, quod sperârant, ullum ferrent, pugnae impares, mox in fugam se conjiciunt: in qua intercepti multi, & occisi. Tum tormenta quoque omnia, farcinæque in victoris potestatem pervenere. Multi quoque, cum ad naves trepidatione summâ se reciperent, nec ad has admitterentur, metu imminentis hostis, in mare se præcipitantes perierunt. Hunc in modum Vandalicæ civitates divexantur, Sueci, aliquamdiu liberi ab hostili incurfione, recuperare, quæ amiserant, animum inducunt: ut sic tandem plenam sibi libertatem vendicarent. Itaque, post obsidionem annorum aliquot, cum Calmarniam recepissent, Bornholmum etiam in Oelandiâ circumfederant. Quâ de causâ classis regiae præfectus, profligatis Stralsundensibus, cum è Rugiâ discessisset, in Oelandiam, opem obsessis laturus, properavit. Præfecerat Bornholmo rex Othonem Rudium, clarum belli: qui Canutum fratrem suum, Hierosolyma pietatis ergo petens, substituerat, eâ lege, ne cuiquam, nisi regi, arcem commendatam traderet. Quam ob rem, defuncto Othone in itinere, cum de morte ejus fama afferretur, Canutus, ut servaret fidem, quam obstrinxerat pridem fratri, jam in arcem, metuens obsidionem, se receperat: Atque eò secum adduxerat Petrum Vrium, antea arcis Hafniensis sup-præfectum, cui præfecturam arcis rex mandaverat. Verum ille, quia plurimos è præsidio Hafniæ graviter offendisset, parum obsequii pronos habuit. Hâc de causâ, supervenientibus Suecis, quos firmandæ obsidioni Suanto miserat, Canutus, cum præsidio inclusus, dissidentes adhortatur, *ut privatam offensam suam rei publicæ condonarent: facile hostem propulsari foris posse, si concordēs intus forent.* Hinc paratis, quæ ad repellendos Suecos opus essent, oppugnationem exspectat. Dederat iis duces Suanto, Henningum Gaddium, Bremum Oestrium, & Ericum Abrahamum. Tole-

Tolerata in quintum usque mensem obfidio; à vicesimo quarto Junii, ad Novembris diem quintum & vicesimum: cum rex, in Vandalico bello occupatus, nullum interea commeatum, aut auxilium, laborantibus submisisset. Itaque, exhausti viribus, siti pariter & inedia postquam aqua semifalsa, ac farina crassiore, aliquandiu vitam utcunque sustentassent, necessitate impellente, liberum discessum pacti, arcem Suecis tradidere. Alibi quoque eo anno est pugnatum. Quippe in Gothiam occidentalem rex Ioannes copias pedestres misit; quæ, progressæ Scaram usque, latè agros devastarunt: & occisis plurimis indigenarum, domum cum ingenti pædâ redierunt. Cum interea regni gubernator Suanto nihil contra conaretur: nisi quod submitteret equitum turmam unam, quæ palantes passim Danos commeatu, pabuloque, prohiberet. Lubecenses, moti damno sociarum civitatum, quod à Danis, uti jam commemoratum, accepissent, cum hæc opem implorarent, naves omnes grandiores, è navalibus productas, ocyùs reparant, instruuntque. Sedecim universæ erant; quæ progressæ, ad Iasmundam cursum sistunt: expectantes octo dies, donec Stralsundensium naves advenirent. Quibus nimium cunctantibus, nec ad tempus præstitutum venientibus, mox Bornholmum se recipiunt. Vbi itidem dum adventum earundem præstolantur, duces copias exponere, & agros populari jubent. Quo peracto, & abductâ pecorum magnâ multitudine, nuntioque ejus rei ad regem allato, ille statim classem parat: imperatque, ut quam primum hosti ad Bornholmum occurrat. Duces illi dat Ioannem Holigerum, Severinum Norbium, Tilemannum Giselium, ac fortissimos quosque alios: ita tamen, uti summa præfectura penes Holigerum esset, virum animi magnitudine, ac peritiâ rei bellicæ, præter cæteros excellentem. Ille, ventum commodum nactus, cum solvisset, nono Augusti mensis die classem hostium conspicatur. Itaque hortatur suos, ut intrepidi pugnam inirent contra illos, quos jam toties devicissent. Cumque, eo hæc dicente, clamor nauticus tolleretur, arque omnes postularent, pugnae sibi si-

gnum dari; sponderentque, ita se gesturos esse, uti nec degenerasse à virtute gentis suæ, nec spem ejus fefellisse, dici possent; ne pugnandi ardor morâ elanguesceret, propius in hostem advectus, se ad dimicandum parat. Inde naves suas ordinat, & majores in utroque cornu locat; inter illas, mediocres: reliquas, post has constituit, ad ferendam, si quæ laborarent, opem. tum, quæ quamque sequi debeat, & quæ cui subvenire, dat mandatum. Neque cessant Lubecenses, & productam ocyùs classem hosti opponunt. Primi impetum Dani faciunt; quem exceptum Lubecenses diu quàm fortissimè sustinent. Cumquæ eorum naves quinque, faucibus multis, & occisis, graviter laceratæ essent; incitati, non servato ultra ordine, majore audaciâ, quàm prudentiâ, hostem invadunt, ac promiscuè præliantur. Mox eodem quoque modo Dani pugnant: & utrinque non industriâ militari, sed virtute, dimicatur. Maximâ diei parte telis eminus res gesta: cum Danorum una navis propius in hostem fertur. ad quam postquam opprimendam magno impetu plures ruerent, circumventam facillè capiunt. Quo conspecto, Dani, ut hanc contumeliam vindicarent, magno animi ardore in hostilem classem irruunt; vincere, aut mori, certi. Neque diu resistere Lubecenses; ac salutem fugâ sibi quæivere: in quâ etiam intercepti penè omnes cæsi penitus fuissent, nisi densæ ingruentis noctis tenebræ fugientes insequi prohibuissent. Etenim dux classis regis Holigerus, non se credere mari ausus, cum receptui cecinisset, tanquam victor, locum capit, è quo ipsi profugissent: & ibidem diem expectat. Qui cum postea illuxisset, rursus profugum hostem quærit: quem nequicquam aliquamdiu quæsitum cum non posset invenire, in eundem locum redit. Vix pervenerat, cum tres Stralsundensium naves, quas hîc expectasse antea Lubecenses memoravi, procul adventare vident. Illi, quiescentibus Danis, &, quò cursum instituerent, expectantibus, sociorum classem esse arbitrati, propè adnavigant. Sed, cum hostem esse cernerent, retrò versi, fugam instituunt. Insequuntur ocyùs Dani: atque duas naves capiunt, tertiâ vix

elabente. Hæc dum ad Bornholmum gerunt, quædam Hollandorum classis, è Livoniâ revertens, fugientibus Lubecensibus inter Reschovidam & Heilam fortè occurrit. Erat navium ducentarum quinquaginta: ac duntaxat quatuor bellicæ his adjunctæ, quæ deducerent. Cumque antiqua de commerciorum jure in has orientis partes controversia, inter Hollandos, & Vandalicas civitates, necdum tunc dirempta esset, iusta injuriæ inferendæ causa visa est, quam occasio invitabat. Itaque eam invadentes, totam capiunt, dissipantve. Quatuor bellicæ, impares pugnæ, ad Bornholmum, ubi regia classis stabat, se subducunt, & ad Heilam à Lubecensibus acta nuntiant. Quibus cognitis Holigerus, convocatos statim suos jurejurando obstringit, ad recuperandam prædam, aut ad mortem oppetendam. Nec difficile illud erat, apud pugnam suâ sponte postulantes: & ardentis propriâ virtute animos, quatuor Hollandorum naves, quæ accesserant, magis etiam incitabant. Itaque cum multo manè à Bornholmo discessissent, meridie ad Heilam veniunt; ubi naves Hollandorum dissipatas, ac plerasque sine rectore fluctuantes, alias adhuc fumantes ex incendio, conspiciantur: & non procul inde classem Lubecensium; qui, ob prædæ magnitudinem insolentes, victis etiam tum superbè insultarent. Ideò visum, propiùs advehi, atque eam adoriri. Verùm illi, quod instructas bello naves tantùm undecim haberent, cæteris quinque ad Bornholmum miserè adeò lacertis, ut inutiles pugnæ essent; nec captivis, quamvis militem ipsi suum imposuissent, satis fiderent, explicatam toto prius mari classem statim contrahunt, prælium planè detrectantes. Qua re animadversâ Dani, ut protraherent vel invitos ad certamen, telis declinantes petunt. Quibus cum non parum certè læderentur, tela tandem ipsi quoque retorquebant; ita tamen, ut non tam pugnare velle, quam periculo subterducere sese, ostenderent: fugam, in quâ solâ sibi spem salutis esse cernerent, tempestivè initari. Quod ne possent, Dani naves suas explicant, intercludere hostem certi. Verùm, eo animadverso, Lubecenses, veriti ne circumventi simul omnes hostium in potestatem devenirent, ocyùs fugam capeffentes, Travemundam se recipiunt: paucas tantùm Hollandorum naves secum abducentes. Ac secuti fugientes eos Dani facilè interceptissent, ni prætoriam classis regiæ, rupto fortè pede nautico, in mediâ insectatione cursum sistens, hæc re cæteras item naves, quæ se isto velut signo revocari arbitratae, inhibuisset. Mox prætoriam reparatâ, cum ad Heilam redissent, sparsas Hollandorum naves colligentes, dominis eas suis reddunt, quos desertis pridem iis metu hostis fugientes excepissent. Quanquam sanè multæ ex his desideratae; partim incensæ à Lubecensibus, aut abductæ: partim quoque à mercatoribus, dum pugnatur, fortè intervenientibus, & in fluctuantes eas incidentibus, interversæ. Post victoriam hanc Dani non duntaxat mare Balticum tutum ab excursione urbium Vandalicarum præstiterunt; sed, interiores quoque ejus sinus perlustrantes, mercatores earundem, ubicunq; deprehensos, invaserunt: & illorum merces inter se partiti, vilis pretio vendiderunt. Quâ re factum, ut, quantumvis gesto per decennium bello, non annonæ tamen ulla, aut aliarum rerum necessariorum, caritas fuerit: quin & contra, ex allatis toties in regnum spoliis, rerum omnium tanta exstiterit abundantia, quantâ pace quamvis florentissimâ esse potuisset. Anno proximo, Suanto, qui pro rege Sueciæ sese gesserat, diem obiit Arofiæ: nihilo felicioris vitæ exitum consecutus, quàm decessor ejus Steno. Nempe fatum hoc Ioannis regis erat, uti, victor in tam longo ac difficili bello factus, hostibus suis, quos rebelles, perfidosque, toties expertus esset, quique graves admodum seditiones contra ipsum concitassent, superviveret: atque post proscriptionem, cum infamiâ sempiternâ, sine ullo suo scelere, Dei manu è medio sublatus cerneret. Mortuo verò Suantone, Sueci, quanquam in Ioannem, ejusque filium Christianum, jusjurandum suum dederant, nullâ tamen ejus ratione habitâ, in Stenonem, illius filium, regnum transferunt. Inter ista Lubecenses, postquam, obsessio undique mari, com meatu destitueret, atque cives eâ de re apud senatum quererentur, alteru-

alterutrum faciendum fuit: ut aut aliunde eum procuraret, aut à rege pacem peteret. Ac, cum prius minimè posset, alterum præstandum erat. Itaque, crescente indies magis fame, literas ad regem mittit, postulatque, locum sibi idoneum dari, & fidem publicam; se habere, quæ cum ipso agere velit: neque frustra, si concedat, operam collocatum iri. Rex, ad pacem à naturâ, quàm ad bellum, magis pronus, se Flensburgi brevi adfuturum scribit; illuc, si quos velit, mittat: nec periculum ibi ipsis ullum fore. Mox venerunt duo consules: qui cum eo de constituendâ pace, pro se, fociisque urbibus, clam colloquium instituere velle dicerent. Quod quantumvis rex gravatè primùm admitteret, cupiens consiliarios quosdam suos adhibere; tamen, ne deesse ipse uspiam paci videretur, tandem eorum postulatis acquievit. Itaque statuto die, cum rex ad colloqui locum, qui in arce Flensburgensi designatus, iturus esset; gladio suo se accingens, quosdam è familiaribus sequi jubet. Quibus ipsum percontantibus, quâ de causâ ita armatus ad colloquium procederet: quia, inquit, longâ mihi consuetudine sic jam noti Lubecenses, ut, inermem me committere ipsis, non consultum putem. Hinc cubiculum, in quo illi convenissent, ingressurus, ad sequentes se convertens, subridenti ore ait; vos hic foris paullulum me expectate, dum cognoscam ipse intus, quidnam mihi Lubecenses novi ferant: qui si fortè vim intendent, contra duos strenuè solus, quoad poterò, me tuebor: sed si opem acrius pressus, imploraverò, tum accurrite, & auxiliùm laboranti ocyùs ferte. Iocus erat; sed quo tamen non obscure indicabat, quantum ipse eorum fidei tribuendum existimaret. Mox, finito hoc colloquio, cum ad suos rediisset, ad senatum postulata illorum refert. Inde pax decreta fuit; & commerciorum iis reddita libertas prisca, iis legibus: ut, si Sueci nec Ioannem regem reciperent, neque filium Christianum; nec quotannis tredecim selibrarum Holmensium millia penderent, quæ promiserant: tum Ioannem, ad redigendum in potestatem regnum Sueciæ, adjuvarent. Nullum quoque ejus hostem, aut heredum, urbe exciperent, foverent: ac detenta utrinque bona, redderentur. Insuper, quocumque bello, post id tempus commo-

vendo, portus regni Norvegici immunes essent: & commercia quilibet ex occidente libera illic exerceret. Denique, si controversiæ deinceps aliqua inter regem & Lubecenses nascerentur, eas quatuor, huic negotio deputati, disceptarent. Sueci, postquam convenisse inter regem, Lubecenses, & Vandalicas civitates, accepissent; viribus suis jam diffisi, ipsi quoque ad regem oratores mittunt, qui Malmogiæ inchoatas pridem pacis rationes retractarent. Quos rex postquam, repetitâ toties rebellione irritatus, vix admittere dignaretur; senatorum tandem intercessione & admissi, & auditi, etiam pacem, quam petebant, impetrarunt, eâ lege: ut intra vertentem annum ipsum in regnum restituerent; filiumve Christianum, cui pariter omnes sacramento dixerant, patris loco pro gubernatore acciperent: jusque illi suum in Sueciam illibatum conservarent. Aut, si neutrum ex his vellent, tredecim selibrarum Holmensium millia quotannis solverent, seu Ioanni, sive filio Christiano: si defuncto eum patri superesse eveniret. Hunc in modum etiam cum Suecistandem pax sancita: quam, perfidiâ usitatâ, paullò post defuncto rege, denuò quoque violarunt. Rex, confecto bello Suecico, & Vandalico; ac, firmatâ ubique pace, regno penitus tranquillo; animum ad pietatis opera advertere cœpit. ac, legato Romanam misso ad pontificem Ioanne Wolfio, viro sibi ab epistolis, præposituram Othoniensem, quam episcopus ejus urbis suam fecerat, regiæ jurisdictioni vindicavit, & Andreæ Globo dedit. Franciscanis tria monasteria struxit: unum Coagii, alterum Malmogiæ, tertium Halmstadii. Tum enixè item egit per legatos ad pontificem Romanum, ut initiatus sacris Christianorum princeps Russiæ in Ecclesiam admitteretur, quanquam, morte impeditus, non peregit. Erectam à patre Academiam Hafniensem veriè auxit, ornavitque, & stipendia professorum luculentiora fecit; longâ experienciâ doctus, in bellorum, ac negotiorum, mole, deesse sibi idoneos viros, quibus in legationibus, & negotiis regni aliis, uteretur: eosque deinceps inde legere constituerat. Quin, hæc ipsa uti magis effloresceret, etiam antè, anno MDCCCXCVIII, admodum severe edixerat, ne ad exterarum Academi-  
 Fff 2 la

C10 10  
XII.C10 10  
XIII.

lâ exceptâ Vpsaliensi, ipsi quoque tum sub-  
jectâ, quisquam iret, nisi qui triennium  
prius in hac suâ Hafniensi exegisset. Post-  
hæc, rebus in Selandiâ ordinatis, ineunte  
Ianuario, unâ cum Christinâ conjugè, fi-  
lioque Christiano, plurimisque senato-  
rum, in septentrionalem Cimbriam, jus  
dicturus loci incolis, proficiscitur. Quo  
itinere, cum trajiceret mare Balticum,  
orta subito tempesta in discrimen præ-  
sentissimum eum adduxit. Quo vix tan-  
dem liberatus, cum Niburgum appulisset,  
& in terram exscendisset; *Vale mare, in-  
quit, vale, ad id conversus: ita enim in  
nos hodiè seviisti, ut, deinceps non te nobis  
transitum concessurum esse, sat ostenderis.*  
Ac profectò, quasi mortem imminen-  
tem præfagiret, verum dixit: neque enim  
posthac transiit. Inde, factò per Fioniam  
itinere, Ripam venit, Cimbriæ oppidum;  
ab Ivaro Muncio illuc invitatus, loci epis-  
copo: qui jam annis aliquot antè inaugu-  
ratus, ac facturùs primum sacrum, & in  
hoc Lagonem Vrnium, præfulem Roschil-  
diensem, etiam consecraturus, studio in  
illud tempus rem distulerat. Vbi dum rex  
commoratur, derepentè ad eum exundavit  
mare, ut obsessus quasi aquis plures dies  
hîc subsistere cogeretur. Aliquando, paul-  
lum extra urbem egressus, cum ad mare  
accessisset; & hanc, aquis undique cin-  
ctam, illis ipsis quasi innatare cerneret, ad-  
miratus, & conversus ad astantes: *ecce, in-  
quit, regem regum, dominumque dominantium!  
merito eum supra omnes potestates, quæ in terris,  
veneremur: qui non ullo telo bellico, machinâ-  
ve, sed hoc uno elemento, nos invitos oppido hoc  
clausos tenet. Igitur, quas hostibus nostris nun-  
quam dedimus, nunc altissimo, cujus terrâ, at-  
que mari, infinita est potentia, ultro victi ma-  
nus demus. Huic sit laus, honos, gloria, usque in  
infinita secula.* Quibus verbis summam in  
Deum pietatem non obscure testabatur.  
Subsidente inde aquâ, Oleburgum se re-  
cepit; quò mox æger ad vicesimum quar-  
tum diem Ianuarii pervenit: quod, pro-  
lapso in paludes Tarmicas equo, se non-  
nihil offendisset. Vbi dum è viâ fessus, &  
è casu item languens, se recolligit, octavo  
ab adventu die, morbo laborare cœpit.  
Qui cum indies ingravesceret, ipse sibi  
summum vitæ suæ tempus imminere præ-

dicabat. Eâ re cum universi, quibus salus  
regis curæ pariter ac regni erat, animis  
consternarentur, luctus ingens totâ urbe  
exortus fuit. Verum ille, nihil motus, sum-  
mâ animi constantiâ, & in Deum pietate,  
ad excipiendam mortem se parabat. Dum  
versatur in agone, neque longè ab extre-  
mâ metâ abest, filium suum Christianum  
accerfiri ad se jubet; ac, præsentibus è se-  
nato regni pluribus, adhortatur: primum,  
*ut regnorum omnium largitorem, ac conservato-  
rum Deum, atque reges qualescunque in suâ po-  
testate habentem, ante omnia veneretur; atq; ab  
eo sapientiam, & consilium in administratione  
regni petat.* Deinde, *uti regni ordines debito fa-  
vore suo prosequatur: nulli per vim quicquâ eri-  
piat; sed, legitimè regnum exercens, jus ex æquo  
locupletibus, ac pauperibus, semper dicat. Tum,  
quos in honore habeat, homines indigenas legat,  
non extraneos; neque novos, sed pro sapie vetu-  
sta: nec peregrinorum potius, quàm suorum, ope-  
râ in pacè, ac bello, domi, ac foris, uti velit.*  
*Quorum etiam summam fidem, & industriam  
singularem, aut obsequium, in administrando  
regno expertus esset, eos post excessum suum di-  
gnè habeat. Ita fore, ut ad eadem hæc præstanda  
illos sibi quoque obstringat.* Denique, *felicem  
regni gubernationem optat: & supremum  
vale dicit.* Hæc cum filio locutus, lacry-  
mantibus, qui astabant, universis, maxi-  
mo cœlorum regi se commendans, inter  
horam nonam ac decimam vespertinam,  
decimo Calendas Martii diem obiit; peste,  
ut nonnulli volunt: vel, ut alii quidam, fe-  
bre. Corpus ejus, in Fioniam deportatum,  
& Othoniæ sepultum est, in cœnobio  
Franciscano, quod nunc summum urbis  
templum. Regnum tenuit annos duos &  
triginta; vixit quinquaginta octo. Immi-  
nentem sibi mortem ipse sat præfagiebat;  
itaq; anno ineunte, integrâ adhuc valetu-  
dine, Hafniæ testamentum fecit: ac, fami-  
liaribus suis multa legans, plura templis, ad  
colendum ritè Deum, consecravit: pieta-  
tem excellentem, quam intento semper  
studio exercuerat, etiam supremo illo vi-  
tæ actu palàm faciens. Signa quoque  
mortem ejus præcessere. Condito testa-  
mento suo, postquam cum familiaribus  
quodam die hilaritati indulgeret, inter po-  
cula Calendarium è Germaniâ est alla-  
tum. In quo quando referretur, eo anno  
quen-



quendam magni nominis principem moriturum, idque forte legeretur, filuisse aliquandiu illum ferunt: mox, silentio interrupto, cum interpellaret nemo, circumstantes percontatum; *ecquem illi ibi principem, cui mors pradiceretur, designatum existimarent?* cumque omnes respondere cunctarentur, ipsum inde suggessisse; *Ego quidem me non designari puto: valeant somnia, & inepti illius hominis vaticinia: nos speramus vitam adhuc longiorem, summi Dei beneficio.* Alii, & in Christianum filium jocatum ferunt, ac dixisse; *etiam in juniores principes mortem incurfare: nec etatis ullam rationem habere.* Quin & noctu canum in arce Hafnienfi formidabiles latratus sunt auditi, sese quasi in provocantes irritantium. Ac facelli, quod in arce, foribus subinde noctu sponte sua patefactis, vox audita lamentantis: tum insoliti strepitus alii, magno metu audientes perculere. Denique & sacra vestes, in facelli summam aram, secus atque aedituus eas pridie straverat; convolutae cernebantur. Erat princeps, plurium virtutum laude maximis quibusque regibus comparandis: ac, gestarum rerum gloriam, paucis minor. Bellis, quamquam plura gessit, nusquam victus, si Dithmarsicum exceperis: in quo ducum potius culpam, quam illius, reprehendas. Summa in verbis ejus fides; &, ut ipse diligens promissus erat, ita graviter negligentibus succensebat: facilis tamen, & offensae, ultra debellatum hostem, nunquam tenax. Vnde factum, uti totum ejus regnum nihil aliud quam perpetua quasi quaedam lucta fuerit cum perfidia & Stenonis, & Suantonis, sociorumque, ac Lubecensium. Quibus, toties ignoscendo, animos, & vires, semper ad rebellionem novam confirmabat: raro exemplo, nec principibus imitando. Nam in talibus, ut non licet bis peccare, ita neque bis ignoscere: & crudelis est in subditos, quisquis hosti, postea non nisi illorum sanguine rursus coercendo, gratiam delicti ejusdem iterum facit. Sed in eo etiam in regnandi legem deliquisse merito censeri potest, quod subactis a se Suecis, contra pacta, Danos suos, ac Germanos, peregrinos, potius praeficiendos, quam indigenas Suecos, duxerit: nec eorum in dominatu non ferendam impotentiam tempestive compescuerit. Nam <sup>cio 12</sup>gens quaeque paullo erectioris animi eo <sup>xiii.</sup>plane est ingenio, ut imperiis suorum non gravate morem gerat, externorum irritetur: &, cum se de fide eorum dubitare ostendit princeps, eam facile per occasionem exuat. Adde, quod, praefecti externi dum plerunque, debellatis pro libidine dominantes, fas ac nefas juxta aestimant, pristinam virtutem victi revocare, & excutere nullo modo tolerandum viris jugum, tandem audeant. Itaque id curare sedulo princeps debet, qui subjectos armis populos retinere in constanti obsequio volet; ut praefectos aut indigenas illis ponat, quorum fidem sibi exploratam habeat; aut suorum dominatum sic coerceat, ut, imperium juxta leges exercentes, asperatos clade sua illorum animos, blande ac comiter habendo, mox demulceat. Ita demum est futurum, ut eorum voluntates in perpetuum sua sit in potestate habiturus. Gravitate tanta erat, uti, dignam magno rege majestatem praese ferens, omnibus se venerandum exhiberet: quam vicissim eam quoque humanitate temperabat, ut amorem omnium in se subditorum provocaret. Legatos regum principumque; externorum excipiebat honorifice, & expediebat citò; ne, diutius commorantes, statum regni explorarent: saepe dicens, minime expedire regi, ut legati externorum regni sui arcana discant. Et favorem subditorum tantum sibi comparaverat, ut, quod cupere se ostenderet, summo omnium consensu consecutus semper fuerit. In delictis puniendis ut severus, cum res posceret, ita miram comitate animos deliniebat, ut ob istud nemo ab eo tamen alienus esset. Iudicio sic excelebat, uti, cum deliberatio de gravissimis regni rebus haberetur, ad consilia sese ejus, velut multo potentiora, alii accommodarent. Ac, tametsi a natura ita comparatus esset, ut, quid in re quaque facto opus foret, ipse satis judicaret; nihilominus, in momenti magni rebus, & sententiam senatorum studiosè perquirebat, & libenter audiebat. Pietatem magnam curam semper coluit; Deum assidue veneratus, *uti sapientiam sibi, in administrandis regnis necessariam, largiretur; & consilia quoque sua in salutem subditorum fortunaret.*

ret. Quin subinde in colloquio testabatur: non humanâ sapientiâ regna ulla gubernari re-  
 etè posse, nisi Deus conservare ea vellet: tum &  
 frustra regem esse, quamlibet presidio humano  
 undecunque instructissimum, ni consilia ejus  
 cuncta, & actiones, Deus regat. Atque hanc  
 regis pietatem multis sanè Deus donis cu-  
 mulavit: omnes ejus actiones, & consilia,  
 prospero successu beans. Insuper, quàm  
 diu ipse regnum tenuit, si principium ex-  
 ceperis, tanta frugum, item rerum aliarum  
 necessariorum omnium, copia fuit, ut om-  
 ninò nil deesset. Quin, Vandalici belli tem-  
 pore, cum, edicto promulgato, vetitum ef-  
 set, ne Lubecam com meatum, aut frumen-  
 tum, quisquam ullum deportaret; pluri-  
 mis id conquerentibus, ni edictum tollere-  
 tur, fore, ut frumenti multum, & com mea-  
 tus omnis generis, toto regno inutiliter pe-  
 riret; æris autem, ac rerum necessariorum  
 plurimarum, quibus tamen minimè care-  
 re possent, si imposita sibi à rege belli one-  
 ra ferre debeant, magna porrò inopia ef-  
 set: per benignè respondere, ac jubere; ut  
 frumentum, & prætereà si venale quid ha-  
 berent, arcibus suis inferrent: pretiumque  
 apud scribas præsens accepturos esse. Sta-  
 tuerat quidem initio regni, ut nonnulli ar-  
 bitrantur, paullo gravius clerum premere;  
 non tam suâ inclinatione animi, quàm in-  
 stinctu aliorum, quibus ille odio erat: ve-  
 rum, fraude deprehensâ, quod non tam  
 utilitatis publicæ causâ, quàm privato suo  
 affectu, quidam ipsi id persuasum voluif-  
 sent, & sententiam mutavit, & humanita-  
 te summâ porrò eum est complexus. Sta-  
 turâ erat mediocri, & quadratâ; pectore  
 lato, & nonnihil prominente: facie rotun-  
 dâ, ac decentibus item oculis pervenuistâ:

corpore benè compacto, & succulento. Luxum vestium aded fastidiebat, ut dif-  
 cernere à ministris aulae suæ vix interdum  
 quisquam posset: cibo, & potu, frugalis,  
 ad exemplum antiquorum. Verum, ubi ap-  
 paratum, ac splendorem, rege dignum,  
 tempus posceret, nulli quicquam conce-  
 debat: idque non ad voluptatem, sed in  
 amicorum gratiam, facere se aliquando  
 prædicabat. Veste aureâ talari, & hac cin-  
 gulo constrictâ, gladioque, quem antiqui-  
 tatis usitatum Dani chordam appellare  
 consueverunt, utebatur: aded morum  
 patriæ amans, ut, quantumvis multò ex-  
 quisitiore armorum genere uti posset, ta-  
 men, ne quis patriam se aspernari existi-  
 maret, patrio, quàm peregrino, uti mallet.  
 In conviviis, cum bibisset paullo largius,  
 planè frontem exporrigebat: musicamque  
 quâ delectabatur plurimum, adhibebat.  
 Liberos è Christinâ conjugè, Saxonis  
 Ernesti filiâ, tres suscepit: mares duos,  
 Christianum, ejus nominis secundum, suc-  
 cessorem, sed mox regno ob tyrannidem  
 dejectum; & Franciscum, principem egre-  
 giæ spei, sed in ipso quasi flore Hafniæ  
 peste interceptum, anno ætatis decimo  
 quarto: filiamque Elizabetham, Ioachi-  
 mo, marchioni Brandeburgico, elocatam.  
 Quæ, religionis causâ, quam mutaverat,  
 suasu Christiani fratris, qui subinde regno  
 exutus eam viseret, cum, deserto matri-  
 monio, in Saxoniam profugisset, à Ioanne  
 Friderico perhumaniter excepta, fratre  
 nihilo per id tempus fortunatior, aliquan-  
 diu exulavit: donec tandem, post mariti  
 sui mortem, filius eam revocaret: apud  
 quem, dotalibus acceptis bonis, porrò pla-  
 cidè consenuit, obiitque.

I O A N N I S M E V R S I  
 H I S T O R I Æ  
 D A N I C Æ  
 L I B E R III.

Qui complectitur regnum  
 CHRISTIANI II.



**P**ost Ioannis patris mortem, Christianus, ejus nominis secundus, regnum accepit. Qui in ipso statim initio primam illam curam habuit, uti sese contra hostem quemque externum confirmaret. Etenim credebat Suecos, repetita toties rebellione in parentem infideles, neque sibi fidos fore: aut in pace, & obsequio, permanuros. Insuper Vandalicarum civitatum, & imprimis Lubecensium, planè ambiguum fidem esse: conciliatione nuperâ partam potius, quàm obstrictam. Itaque, cum reges Gallia, Anglia, Scotia, foederatos sibi haberet; Fridericum, & Ioannem, Saxones, avunculos: tum fororium, Ioachimum Brandenburgicum: Maximilianum quoque Imperatorem, & per hunc Austriacam domum universam, matrimonio contrahendo devincire animum induxit. Erat huic ex Philippo filio neptis, Isabella: cujus fratres, Carolus, & Ferdinandus, avo postea in Imperio suo ordine successerunt. Eam sibi cum uxorem petiisset, sine negotio, ut mox dicam, impetravit. Atque ita, raro sanè summi Dei beneficio, illud consecutus fuit, ut potentia reges Daniae universos, quotquot unquam ante ipsum exstitissent, superaret. Daniam, Sueciam, ac Norvegiam, à parente suo acceperat; Gallia, Anglia, Scotia, foedere: Hispania, Hungaria, & Bohemia, atque Imperium aded totum, Belgiumque, affinitate obstringebatur. Tria regna possidebat; sex obnoxia sibi habebat, foedere, aut matrimonio. Quibus adde cum

Germaniam, tum in eâ separatim Marchionatum Brandenburgicum, & Saxoniam: adde Belgii ditiones, decem, & septem. Tanto tamen de fastigio deturbatus, nec restitui tot potentium amicorum ope quitus, actis miserè in exilio annis novem, septem ac viginti in carcere, in quo tandem quoque obiit, reges, principesque omnes, sat exemplo suo docuit, modum affectibus imperare: & cavere, ne, præcipientes dominandi, in transversum raptantur. Quippe Deus ita regna ordinavit, ut, obsequii fideique quantum à subditis reges possant, tantum quoque æquitatis, & amoris, illis debeant; nec minorem sibi quoque rationem juramenti, quo se illis obligarunt, habendam esse arbitrentur. Tum ostendit, se perjuriam semper quidem severissimè vindicare; sed potissimum in iis, quos, ad summum dignitatis gradum evectos, in hac terrâ quasi deos esse voluit. Dolendum verò maximopere, Christianum, nec recentia morientis patris monita, tam præclara, animo repræsentasse; nec, exemplis tot illius incitatum, sibi etiam in virtutem incumbendum existimasse. Sed nimirum non virtutes, uti regna, ad hæredes transmittuntur: ac frequenter usu venit, ut heroum præstantissimorum filii, à parentum moribus degenerantes, noxæ fiant. Sed nunc regnum ejus nobis proponamus. Cum affinitatem Austriacam maximum fortunæ suæ munimentum, uti erat, reputaret; atque eam toto animo agitaret; quo facilius obtineret, id curandum sibi imprimis ratus fuit, ut, electus pridem princeps, etiam rex crearetur. Neque sanè conquevit, ante-

CIO 10  
XIII

CIO 10  
XIII

CIC 13  
XIV.

quam id anno insequente fieret, exeunte  
 mense Majo, coram cunctis regni ordini-  
 bus, & legatis vicinarum civitatum. Rex  
 creatus, statim habitu peregrino, & exiguo  
 comitatu, Belgium petit: & in eo Mar-  
 garetam tunc provincias pro nepote suo  
 Carolo gubernantem, mox alloquitur:  
 quam, quod antea de hac sua voluntate  
 missis literis certiore reddidisset, non  
 difficilem est expertus. Atque illa cum ad  
 Carolum, fratrem amatæ Isabellæ, postea  
 quintum ejus nominis Imperatorem, viam  
 ei præparasset, ex Hollandiâ in Braban-  
 tiam iter capit: quò tunc Carolus vix è  
 Flandriâ se receperat. Vbi simul ac Bru-  
 xellas, urbem ditionis principem, in qua  
 aula, advenisset, & adventus sui causam  
 Carolo exposuisset, voto facile potitur, &  
 in Daniam regreditur: atque ibi, quæ ad  
 nuptias necessaria, magno studio cuncta  
 parat. Inter ista, ineunte anno proximo,  
 III Id. Januarii, ortus ingens terræ mo-  
 tus Daniam totam quam gravissimè con-  
 cussit. Mox tempestas insecuta ad diem  
 IV Id. Martii, adedò vehemens, ut pinna-  
 culum summi templi Hafniensis in terram  
 dejiceretur; arboresque, ædificiâ, & in  
 proximo mari naves, maximè affligeren-  
 tur: tum & hominum, pecudumque, ma-  
 gna strages ederetur. Rex, qui nuptias a-  
 gitabat, ad arcessendam sponsam suam  
 miserat Magnum Gojæum, equitum regni  
 tribunum; & Ericum, Nidrosiensem in  
 Norvegiâ archiepiscopum: ac magnates  
 item alios. Qui cum domum jam redi-  
 rent, ineunte mense Augusto, tanta iterum  
 tempestas classem regiam infestavit, ut  
 vix tandem portum ad Huidoram attingeret,  
 uno ab Hafniâ milliari. Quam ob  
 rem gavissus maximoperè rex Christianus,  
 cum nobilitatem regni jam tum Hafniam  
 evocasset, illicò legit, qui adveniendi spon-  
 sæ honoris ergo obviam irent. Erant viri  
 foeminaeque; illi equis, hæ carpentis vehe-  
 bantur: universi splendidissimo apparatu,  
 qui diei tam illustri conveniret. Initio se-  
 renum valdè cælum erat, & lætitiâ ad-  
 juvare videbatur; sed mox nubes conden-  
 sata, obduxere; & in pluviam vehemen-  
 tem dissoluta, publicam hilaritatem cor-  
 ruperunt: idque factum nono Augusti.  
 duodecimo, Isabella in majore urbis tem-

CIC 13  
XV.

plo coronatur, & regina ab ordinibus uni-  
 versis salutatur, nuptiæque peraguntur:  
 inter quas relatu illud non indignum, &  
 futuri omen quoddam, memoratur. Multi  
 principes, ut in talibus fieri amat, huc con-  
 venerant; & in illis Fridericus, dux Slesvi-  
 ci, ac Holsatiæ, Christiani sponsi patruus,  
 & mox etiam successor. Is adduxerat in-  
 ter reliquum comitatum Reffentlovium,  
 virum genere non obscuro, ac peritum  
 juris, & astrologiæ. Hic, cum fortè cum  
 nobilitate cæterâ computaret, & dux illac  
 transiturus adveniret, verso ad Danos ser-  
 mone, qui intererant; *Surgite, ait, & futu-  
 ro regi vestro obviam ite.* Illi dictum, tan-  
 quam hominis temulenti, magno risu ex-  
 cepere; sed eventus, velut à vaticinante id  
 prolatum, mox ostendit: cum, dejecto  
 Christiano, advocatus à senatu Frideri-  
 cus, regnum accepit. Postquam celebra-  
 tæ nuptiæ, ut regina Isabella, neque mo-  
 rum, neque linguæ, in terrâ peregrinâ gnæ-  
 ra, alios quoque gentis suæ, præter comi-  
 tatum, haberet; quorum ipsa ministerio,  
 operaque, uti posset; literas ad Margare-  
 tam amitam in Belgium dedit Christianus;  
 quibus peteret, homines idoneos sibi  
 ad colendos hortos mitti, quo culinam in-  
 structiorem, & palato novæ nuptæ magis  
 commodam, porrò haberet. Quos cum  
 illa submisisset, rex Amagriam, insulam  
 vicinam Hafniæ, iis habitandam dedit: &  
 nunc quoque illorum posterum pagum in eâ,  
 vulgò Hollandorum dictum, totum occu-  
 pant. Quâ re cum majorem in modum  
 non duntaxat arci suæ, sed & urbi, neces-  
 saria procurasset; ut de toto etiam regno  
 benè porrò mereretur, emporium Hafniæ  
 celeberrimum instituere animum induxit.  
 Cujus rei cum permultæ, & hæ graves, il-  
 li rationes essent, hæc potissimum move-  
 batur. incolarum assidua querela erat;  
*merces sibi ad emporia peregrina, cum non levi  
 saepe damno, devehendæ: quò cum etiam Deo  
 iter fortunante, sat feliciter pervenissent, non  
 licere pretium rebus suo arbitrio constituere: ve-  
 rum potestatem illam vendicare magistratus,  
 aut commerciorum præsides. Qui cum ferè mer-  
 caturam ipsi exerceant, pro libidine dominan-  
 tur: & in vitis rerum dominis, eas aestiment.  
 Vnde accidat sæpenumero, ut, quæ vitæ mer-  
 ciumque cum discrimine, & impensâ non exi-  
 guâ,*

guâ, exportassent, foris vilius, quam domi, venum dare compellantur. Præter ista, nec expositas semel merces, si quandoque infra pretium censeantur, rursus exportari posse, ut majore domini emolumento alibi ea distrahantur: sed in civium tabulata, magno semper conducenda, in aliud tempus, dum interea pretium crescat, deportari oportere. Accedebat, quod frumenti, ac butyri, pisciumque, & aliarum item rerum, tanta regno copia exportaretur, ut non solum summa earum caritas esset, sed tenuiores quoque regni incole fame interdum graviter affligerentur. His incommodis, aliisque, ut occurreret Christianus, consilium de constituendo emporio capit. Quam ob rem cum postea exulem inter cætera Lubecenses apud Carolum V Cæsarem, aliosque Imperii principes, accusarent, nihil aliud respondit, quam, se sic existimasse, licuisse sibi commoda subditorum promovere, quam nullâ ejus facti à Lubecensibus impetratâ prius veniâ: nec iudicium Imperatoris, aut Imperii cæterorum item principum, detrectare. Itaque propositum urget; & edicto promulgato, regni universi incolas res venales qualescunque Hafniam deferre jubet. Qui non pareat, alioque se recipiat, eum bonis venum allatis, capiteque, luiturum. se emporio viros quosdam præfecturum, ac depositurum esse aureorum aliquot centena millia: tum ex cunctis regni sui civitatibus locupletiores quosque mercatores translaturum, & iisdem privilegia concessurum: neque omissurum quicquam, quod in rem commerciorum unquam fore videretur. Sed hoc ejus institutum, uti subditis admodum acceptum fuit, sic Vandalias civitates, quarum illud summum detrimentum erat, vehementer perturbavit. Itaque, quantâ possunt curâ, illud agunt, ut, si minimè dimovere à proposito regem possint, saltem, ne effectum daret, quavis ratione impediunt. Nec res ea illum latuit: sed, potentiâ suâ fretus, insuper conatum habuit. Inter hæc legatus à Leone x summo Romæ tunc pontifice, venit, Angelus Arcemboldus, populo venales indulgentias ferens. Qui cum mox in Sueciam quoque cogitaret, Christianus, hominem seorsum vocans, rogat, ut Stenonis sibi, Sueciæ gubernatoris, quam nunc petat, animum conciliaret: ac de jure regni litem, inter se & ipsum abortam, ut componeret. Tum de-

clarat, quos amicos illic habeat: quorum operâ, aut consilio, tutò satis uti possit: orat verò, ne hos prodat. Pollicetur Arcemboldus curam omnem, & silentium, sed non præstat. Nam in Sueciam cum venisset, ad colloquium Stenonis, verba ei Christiani cuncta refert: simul & amicos edit, quorum nomina occultari ferò ille postulaverat. Quâ futilitate hominis, ita frigidam suffundentis, cum pararium amicitiae se futurum promississet, multa post id tempus mala regno utrique evenire. Quippe Steno, qui amicis tot subnixum Christianum ægrè ferret, in primarium regni antistitem, Gustavum Trollium, aliosque, arcanâ amicitia junctos, odium sumens, quiescendum non putavit, antequam eos aut è Sueciâ removeret, aut everteret. Resque hæc Stenonem inde, & Gustavum, ac magnates regni alios, qui in regem Christianum propendebant, sanè graviter commisit. Insequenti verò anno Ioannes Foburgius, scriba regius primarius, peculatus, criminumque item aliorum reus, accusante Torberno Oxio, arcis Hafniensis præside, laqueo punitus fuit. Hic, cum regi aliquandiu operam suam, & industriam, approbasset, ita se in gratiam insinuavit, ut rex quidvis postulanti largiretur. Et, quemadmodum evenire ferè solet, ut, fortuna quos ex humili obscuroque loco eductos in excelsis collocavit, ii vix consistere possint; animoque efferantur, ut ruinâ graviore mox præcipites deturbentur; ita ille, insolens felicitate, se efferre; cæteros autem, cujuscunque demum ordinis, atque loci, aspernari: insuper nonnullis etiam insultare. In his & Torberno Oxio, arcis, ut jam dixi, præsidi, viro inter primos regni: quem familiaritatis indecoræ cum Columbulâ, Christiani concubina, usurpatæ accusatum, in suspicionem primò, & malam Christiani gratiam, dein exitium quoque adduxit. Ipse tamen, vindicante improbitatem ejus Deo, Oxio, quem apud regem accusaverat, regis jussu procurante, morte ignominiosâ prior periit. Etenim, benignum semper in se regem cum videret, & annuere quibuscunque postulatis; ipsâ ejus liberalitate accensus, nova indies poscebat. Quâ re illud tandem effecit, ut tædere inexplebilis avaritiæ

CIC 10  
XV.CIC 10  
XVI.

tiæ

tia illum coeperit. Inter ista, cum canonicus Roschildensis moreretur, atque ille beneficium hoc concedi sibi peteret, annuit rex, ut solebat; & Roschildiam, quod tendebat, porro in Cimbriam profecturus, sequi jubet: ibi isthoc, quod petebat, accepturum. Inter viam rex cupiditatem ejus inexplebilem secum reputans, averfari hominem coepit; tum & odio habere, quod & ipse cum Columbulâ clam confuescere diceretur: denique, hâc re potissimum animum exasperante, etiam è medio sublatum cupere. Nam, ut facile quem amabat Christianus, & amatum ad honores evehebat; ita offensâ, quamvis parvâ, irritatus, facile dejiciebat: in amore, odioque, juxta levis. Itaque Roschildiam cum advenisset, scribit Oxio, *ut inquireret in Foburgii, simulatque rediisset, rationes; & in eum, si fortassè non constarent, jure ageret*: literasque has Foburgio ipsi deferendas tradit. Qui cum illas tradidisset, illicò Torbernus eum rationes exhibere suas jubet: ac, cum perturbatae essent, primò carceri addicit, inde in crucem etiam rapit. Ejus rei postquam fama dimanavit, multi collaudare poenam, velut dignam fastu hominis, non ulterius tolerando: multi verò, ceu præproperam, ac præcipitatum odio, fugillare. sed hic rumor, Hafniam reverso rege, conquievit: donec postea, cum Columbulâ repentinâ admodum morte decessisset, iterum excitari coepit. Ea mulier, natione Hollanda erat; ac, parente suo orba, in Norvegiam, & emporium ejus Bergam, pridem venerat, unâ cum Sigbrittâ matre: quæ, annonâ ibi multò viliorè, huc concesserat, ut facilius tolerare vitam posset. Vbi cum fixisset sedem, & bellariis, aliisque istiusmodi, divendendis aliquamdiu ægrè se sustinuisset, imprudenti commendatione Erici Walckendorffii, cancellarii, quanquam postea poenitentis, & mutare cupientis, adamata à Christiano, tunc Norvegiam nomine Ioannis patris gubernante, & in lectum est abducta. Quo cum postea nihilominus, quanquam ductâ in uxorem Isabellâ, tam illustris loci foemina, potiretur; idque ad ipsius regis, ac reginae, & totius adeò regni ignominiam pertinere censeretur; suâ morte, an veneno, è medio sublata fuit. ea res, ut dicere

coeperam, consopitos jam sermones, qui de poenâ scribæ vulgò paullo ante ferebantur, denuò resuscitavit. Quippe passim innotuerat, constitutum à senatu, ut amoliretur probrum, regis illam consuetudine in futurum submovere. Nec ferendum enim esse, uti foemina peregrina, quæque inops ex Hollandiâ, victus quæritandi causâ, in Norvagiam advenisset, Isabellæ, è familiâ totâ Europâ illustrissimâ oriundæ, formâ quoque, & virtutibus, excellenti, æquaretur: si non etiam præferretur. Inter hæc Torbernus Oxius apud regem in suspicionem venit, ceu venenum procurasset; quod Columbulâ, cum accepta ejus dono cerasa quædam præmatura comedisset, paullo post extincta esset. Atque ita vulgò sanè credebatur. Cujus facti postquam sese excusasset, Christianus alio die, quo matronas, virginesque, è nobilitate plurimas invitaverat, procedente inter pocula choreasque hilaritate, se convertens ad Torbernum, fictâ humanitate quærit; *ecquid, ut detulerat scriba, jam suspensus, cum Columbulâ consuetudinem affectasset? fateretur sine verborum involucro, aut ambagibus, veritatem: quam cur adeò in hoc casu scire cuperet, multas sibi causas esse.* Aderant multi è primatibus regni viris, qui Torbernum nutu, ac signis, admonere, *ut perpenderet accuratè, quidnam regi, iram callidè per blanditias occultanti, responderet.* ille, seu non animadverteret, animi simplicitate; seu contemneret, conscientia fiduciâ, neque offensum à se regem ullo modo arbitratus; rei innoxius, candidè inclinationem mentis suæ profitetur: & *optasse quidem, ejus aliquando copiam sibi dari posse, verum nunquam attigisse.* Quod responsum altè adeò regis animum penetravit, ut & mox sermonem abrumperet, atque vultum immutaret. Hoc, qui aderant, postquam animadvertissent; quidam eorum, qui Torberno hanc ingenuam libertatem exitio futuram esse prævideret, infusurrat illi in aurem: *ista adeò inconsiderata verba non te ego protulisse, verum malum quendam genium, vitæ tuæ insidiantem, planè puto. Multo rectius tacuisses: idque amici tui omnes optarem.* Rex, dimisso post sermonem hunc Torberno, plenus indignationis, recipit se in conclave, & extrema quæque agit. Hinc palatii

palatii præfectum, Magnum Gojæum, apprehendere eum jubet: & in carcerem abducere. Quo peracto, nil cunctatus, causam ad senatum defert. Cumque is pronuntiaret; *noxam sibi non videri, neque ullam cogitationi pœnam legibus statutam esse; multò gravius excandescens, quod si, inquit, in senatu tot amicos habuissem, quot Torberni consanguineos, aliter pronuntiatum sine dubio fuisset: verum, quando illic mihi jus negatum, alibi experiendum est.* Postquam itaque Solbergâ, Hafniæ vicino pago, rusticos aliquot evocasset, projectis ante arcis portam quatuor in terram lanceis, ad quadrangularem formam, hanc intrare per præfectum illos jubet; & sententiam in Torbernum, antequam discedant, ferre. Qui, severitate regis pavefacti, postquam crimen ex præcone accepissent: *Nos quidem Torbernum, ajunt, nullo modo judicamus: sed operibus ipse suis condemnatur.* Quâ sententiâ sic prolata, de supplicio ipse secum protinus deliberare. Idque ut amicis gnarum, convenire etiam ipsi: ac, quid facto opus esset, inter sese consultare. placuitque, uti supplices intercederent, quotquot in utroque sexu toto regno dignitate, gratiaque, antecellerent. Itaque in unum omnes coire; viri, foeminae, summæ regno universo dignitatis, ac profapiae: senatores, & qui extra eum ordinem generis prærogativâ, gratiâ, auctoritate eminentes, aliquid apud regem possent. Inter viros, primus erat Arcemboldus, pontificius legatus, tunc è Sueciâ reversus; cujus maximè rationem, propter cultum, & observantiam, debitam Romanæ sedi, ac pontifici, cujus ille tum personam sustinebat, habiturus putabatur: foeminis, regina ipsa Isabella, cujus gratiæ nihil esse negaturus videretur, ducem ultrò se præbebat. Omnes eunt, preces suas conjuncturi; & ad pedes Christiani se prosternunt: supplicantque, ut Torberno gratiam delicti faciat, quod imprudens admisisset. Addunt foeminae, pro infirmitate sexus, lacrymas, & ejulatus. Sed immitis animi regem, o-diique pertinacem, nihil preces, lacrymave, tot illustrium aut virorum, aut mulierum, commovere: nihil gratia provolutæ ante pedes Isabellæ, nil legati pontificii reverentia, valere. Moriendum erat mi-

fero; nec placari ira regis, nisi ejus morte, poterat. itaque optatæ tantum voluptatis, nec perceptæ, imprudentem nimium confessionem capite luit. Certè minimè Torberni factum excusari potest; qui, Foburgio iratus, quod se pridem apud regem clandestinæ cum Columbulâ consuetudinis detulisset, odium suum juris specie vindicaverat: tum Columbulam quoque ipsam veneno sustulerat. Ac, probatio quam deerat, tamen facinus evidenter apparebat. Itaque Deus, justus semper rerum humanarum judex, & quem nil omnino latet, efferavit mentem regis, ut invaderet innocentem; & judicium suum quamvis inscius exsequeretur: pœnâ eâ extra culpam summâ cum iniquitate infligendâ. Sed divinæ providentiæ usitatum, ut in hominum injustitiâ suum sæpe jus exerceat, & honorem in opprobrio alieno tueatur. Ea res, ut solent homines, primâ causâ præterhabitâ, in secundam intueri, movit vehementer omnes, & inprimis regni proceres: qui, abruptum hunc rigorem indignati, etiam sibi, vel levissimam offensam, extrema quæque metuenda deinceps esse existimabant. Ergo odia concipiunt: quæ deinde, ipso etiam magis illa provocante, tandem in exitium ejus erupere. Hæc cum quidam indicassent, metuens seditionem, operam putavit dandum, ut conatum in principio coerceret: & innoxium quem censebant, jure interfectum ostenderet. Quod dum agit, fortè, qui in muro arcis Hafniensis excubabant, eminus supra suspensi ante annum scribæ caput clarum lumen conspiciantur: quod postridiè postquam illi divulgassent, mox ad regis aures venit. isque statim vigiles, ad se vocatos, rogat, an, quæ visa ipsis narrarentur, vera essent: atque illis affirmantibus, mandat, si id nocte proxima rursus videant, evestigio ad se nuntient, ut & ipse conspiciatur. observabant, quantâ possent diligentiam; cumque iterum lumen solitum appareret, regi, uti jussi, referunt. ille surgit, aspicitque; & aspectum, in honorem scribæ vertit: atque sic interpretatur, ceu Torberni innocentem suo odio in supplicium rapuisset. itaque, ut se immunem hujus culpæ testaretur, è patibulo deductum, honorificè, ac solenni

comitatu, introduci in urbem jubet, & in areâ summi templi sepeliri. quâ re, in invidiam Torberni factâ, odia, quæ ejus pœnâ provocata extincturum se speraverat, magis etiam accendit. idque ita animum ipfius perculit, ut feveritatis nimix ferò tandem, quanquam ferò, pœnituerit. Inter hæc Ioannem Calvum, episcopum Othoniensem, & ejusdem cancellarium, Ioannem Andream, in comitiis Hafniensibus comprehendit, & in carcerem duci jubet. & hic quidem in Erici Walckendorffii, tunc decani Hafniensis, ædes ductus, iurandum illi dedit; non se inde egressurum, antequam à rege gratiam discedendi impetrasset. Vbi postquam aliquot menses exegisset, ac rex sese in Fioniam, ad colloquium cum Christina matre habendum, contulisset; nonnullique apud eum intercederent, fidem suam de sistendo, quandoque visum esset, obstringentes; libertati restitutus, & Othoniam regressus, diu illic post id tempus habitavit, nec citatus unquam fuit. episcopus verò, variis carceribus diu quàm arctissimè custoditus, ægrè tandem à Christophoro Oldenburgico, bello contra Danos moto, liberatus, exceptusque à Lubecensibus, qui Christophoro se conjunxerant, pulso è regno Christiano, mortuoque successore Friderico, à Christiano, nominis illius tertio, muneri suo restituitur. Ac captivatis quidem causæ plures ferebantur: inter quas hæc eminebat. Bello contra Vandalos Lubecam missus, cum duobus è nobilitate Holfaticâ, ad constituendam pacem; Ioannem, Christiani patrem, in pecuniæ magnam summam obligaverat; ad jacturam, quam è navibus mercibusque interceptis passi erant Lubecenses, compensandam. Quæ cum non soluta esset, mortuo Ioanne rege, eam à filio Christiano Lubecenses per legatos exigebant. Hæc de re dum is consultat cum senatu, ac perquirat in archivis acta patris, literæ reperiuntur, quibus episcopus testabatur; ita se cum civitatibus transegisse; ut illata utrinque damna inter sese æquarentur. Has secutus Christianus, cum non potuisset obstringi patrem suum in tantam summam existimaret, jure agere cum eo animum induxit. Quâ de causâ cum episco-

pum Roschildensem, Lagonem Vrnium, arbitrum constituisset, atque is secundum Calvum judicasset, comprehendit pariter cum cancellario illum jubet: ac servari, dum promissam Lubecensibus æris summam exhiberet. Ad hoc istud accedebat; cum Othoniæ quidam ex ipsius aulâ cum Christina, matris regis, quæ hic domicilium fixerat, aulicis quibusdam fortè compotarent, & oborta inter pocula rixa esset, aulæ Christinae præfectum, virum nobilem, Holfatam, è familiâ Porsfeldorum, occiderunt. quod cum de mandato ejus factum esse crederetur, ac Christina istud sibi persuasisset; illa, cædem indignata, filioque regi quæsta, eum quoque incitavit, uti facti rationem postularet. Per id tempus Leo x summus pontifex, Laurentio Puccio cardinali, turbidi ingenii viro, cui nimium tribuebat, impellente, missis passim diplomatibus, veniam cunctis peccatorum, acque vitam sempiternam, promittebat; posito pretio, pro delicti cuiuscunque ratione: ideoque in provinciis cum quæstores, tum æraria, ordinavit. quin præcones etiam addidit, qui tam magni beneficii excellentiam apud populum prædicarent: ac, libellis promulgatis, ejus rei efficaciam in majorem modum extollerent: idque ubique nimium licentiosè, & potissimum in Germaniâ, factitabant. Vbi, qui pecuniam illam Romæ à Leone redemerant, in popinis, ganeisque, nullâ honesti reverentiâ, tum in aleam, tum turpissimos quosque usus, potestatem profundeabant. Quod cordatiores multi, & prudentis pietatis, cum indignum existimarent, in Saxoniam Lutherus, monachus Augustinianus, ac sacrarum literarum in Academia Witebergensi tunc professor, se opposuit; & præconum conciones refutare primum aggressus, mox ut vanas, impiasque, etiam damnat: ac pontificis potestatem, quam in diplomatibus illis ipse sibi vindicabat, dubiam facit. eò denique procedit, ut doctrinam universam, tanquam lapsu seculorum vitiatam, ad examen revocaret. Hujus rei postquam fama in Daniam allata esset, Christianus, missis in Saxoniam literis ad avunculos, Fridericum, & Ioannem, ejus regionis duces, virum aliquem eruditum, pium, ac gravem,

mitti



mitti petit, quo in regnis quoque suis reformandis uteretur. Quâ re fecit, ut Isabella primùm uxori, pro depulso post id tempus supplicanti, absente in Hispaniâ Carolo, opem suam rex Bohemiâ, Ferdinandus; atque ipsi postea Carolus imperator denegaret: ac, quantumvis in comitiis Augustanis, ad conciliandam sibi denuò utriusque gratiam, iterum majorum cultum amplexus esset, nihil adeò, præter classem, suis copiis instruendam, largiretur. irritatis contra illâ inconstantia ducibus Saxoniae, avunculis, & principibus protestantibus universis: qui, cum antea, optimè in ipsum affecti, strenuè sanè adjuvissent, Cæsare, post concessam classem, ac Ferdinando, nihil ultra conferente, ipsi quoque miserum destituerunt. Nec offensa foris tantum, sed & domi, ingens fuit: quique jam nobilitatem, ob Torbernum interfectum; item clerum, ob captivum episcopum Othoniensem, vehementer irritasset; magis etiam ordinis ejus utriusque animos in se concitavit, quod religionem avitam, ne consultis quidem ipsis, immutare statuisset. Itaque inter se conspirant, & consultant; quomodo autprehendant eum, nihil tale cogitantem, aut profugere regno cogant. Quod postremum ut efficiant, passim spargunt aliquod S. Brigittæ vaticinium; quo perniciës, aut exilium, Christiano prædicatur. Idque ita explicabant plures alii; & in his Paulus Eliæ, Carmelita, ordinisque ejus præses, in cœnobio Hafniensi, & Christophorus Raunsbergensis; viri cum virtutis famâ, tum doctrinæ, illo tempore eminentes. Quos identidem illudendo interrogabat; *quando hæc exilium suum prædixisset, an de reditu nil omninò somniasset?* illud porrò, ad fidem elevandam, addens: *eam, quicquid noctu fortè somniasset, id in literas die postero, ne nil ageret, retulisse.* Quæ cum ita gererentur, famâ fertur, in Gustavum, regni Sueciæ archiepiscopum, Suecos concitatos esse, atque insidias illi struere: quod is, fidei suæ memor, in electionem regis Christiani consensisset. Et hic monitus, quicquid ad obsidionem tolerandam necessarium, comparaverat, ac præsidio satis valido arcem Stegam communierat; advocatis, quibus maximè confidebat: ut eorum forti operâ se tam diu

tutaretur, dum auxilium Dani ferrent. Eam ob rem Christianus, ut amico, suâ causâ graviter periclitanti, præsto esset, octus classem centum ac viginti navium, ducibus Severino Norbio, Tilmanno Giffelio, & Andrea Moriano, in Sueciam mittit. Quæ cum illuc prope Stegam appulisset, illicò expositus miles hostem quærit; proximofque aliquot pagos, igne injecto, populatur. Cumque nemo se objiceret, ipsa obsidentium castra oppugnare visum fuit. Quod cum Sueci cognovissent, nil cunctandum ultra rati, ab obsidione abeunt. Dani, liberatâ Stegâ, mox recedunt, & Gustavum secum abducunt. Isque Hafniæ liberalitate regis per biennium sustentatus, debellatâ post id Sueciâ, auctor fuit, ut in victos, etsi contra datam fidem, tam crudeliter grassaretur. Quod indignum, maximè viro ejus ordinis, atque loci. Sed nimirum ægrè, etiam qui se Deo consecrârunt, odia, & iras, ponunt: ac facilius seculo renuntiat, quam affectibus. Sueci interim, postquam Dani recessissent, in ereptum jam Gustavum, quod contra senatum regni in Christianum inclinasset, vehementer invehuntur; & Stockholmi regni ordines universi congregati mox edictum in eum condunt, quo & dignitatem eripiunt, & conjurant: *nunquam se, quam diu vivant, illam reddituros esse: quando ipse, & majores quoque ejus, sæpe in Sueciam Danos hostes, cum ingenti regni damno, adduxissent. Id concessum tamen iri: si quid respondere cupiat, fide publicâ ut accedat, abeatque. Præter hæc, cum Stega arx, natura loci, opereque, permunita, regni hostibus ad id tempus semper ferè aditum aperuisset, uti solo aquaretur, nec deinceps iterum exstrueretur. Tum, si pontifex Romanus, sive ejus successores, quicquam contra molirentur, omnes id conjunctis viribus quovis modo prohiberent: nec periculo ullo vitæ, aut fortunarum, unquam sese de proposito dimoveri paterentur. Denique, quodcunque crimen, sive illud læsæ ecclesiæ, sive majestatis foret, sine exceptione ullâ omnibus commune fore.* Hoc edictum maximæ calamitatis infecutæ causa fuit. Quippe cum ad Christianum ea res allata esset, ille, oppidò lætatus, quod cum Suecis jure agendi occasionem nactus esset, dat confilium Gustavo; uti, misso Romam nuntio,

C10 10  
XVIII.

de injuriâ tam insigni apud papam quere-  
retur. Qui, cum illud accepisset, convoca-  
to cardinalium senatu, & querelâ exami-  
natâ, sententiam in hunc modum dicit.  
*Suecos, quando ab ecclesiâ unione recessissent,*  
*& illatis summo regni præsuli armis, schisma-*  
*te se polluisent, pœna quoque, in schismaticos*  
*usitata, se obnoxios reddidisse: ideoque gladio*  
*percutiendos, atque comburendos esse.* Hanc  
sententiam, ut quam primùm exsequere-  
tur, regi Christiano mandat: literasque,  
hujus suæ voluntatis testes, mittit. Non  
multò post excepta è Sigbrittæ ore verba  
vulgò ferebantur, illa admodum atrocia.  
Ea, post Columbulæ mortem, filiæ suæ,  
de quâ paullò ante dixi, ita se in regis pa-  
riter ac reginæ gratiam insinuavit, ut con-  
silia de gravissimis regni rebus rex cum  
hac communicaret, ac sententiam quo-  
que ejus ante senatorum poneret. Quâ  
elata benevolentia, foemina ambitiosa, eò  
tandem est progressa, ut in potestate suâ  
regem haberet; & negotia cuncta regni,  
quamvis maxima, sola gereret; nec om-  
ninò fieri quicquam pateretur, etsi decer-  
nente senatu, quod non ipsa ratum priùs  
habuisset. Tanta denique insolentia ejus  
fuit, uti cuncta pro libidine agitaret, ac  
proceribus quoque regni quibuscunque,  
& ordinibus, insultaret: omnia hæc pro-  
bante rege, aut ferente, & connivente.  
Isque annus regiam universam luctu, &  
terrore regnum implevit. Nam, defun-  
cto Maximiliano Cæsare, rex, & Isabella  
uxor, cujus ille avus erat, vestem pullam  
induerunt: & marina quædam bellua,  
admirandæ magnitudinis, in Norvegiâ per  
id ipsum tempus capta, dira quævis por-  
tendebat. Neque aliter homines cuncti  
boreales, longo usu ita docti, rem hanc  
interpretabantur: & secutus proximè an-  
nus, in quo motum à Christiano bellum  
Suecicum, ac Stocholmi detestanda la-  
niena instituta, minimè vanum à portento  
metum ostendit. Rex, abolitis antiquis-  
simis laudatissimisque pariter regni sui in-  
stitutis, nova planè, & inusitata hæcenus,  
pro arbitrio introduxit: nullo omninò se-  
natorum contrâ dicere quicquam auso.  
ac tributum primò annonæ, inde merci-  
bus, & venalibus rebus cæteris quibuscun-  
que, imperavit; ac constituit, qui per re-

C10 10  
XIX.

gnum universum id exigent, & exacti-  
onationem regio quæstori redderent. Tum  
præfectos extra ordinem, quos scultetos  
appellabat, oppidatim statuebat; ac pati-  
bulum, medio ubique foro: quo tributum  
recusantes, & præfectos quoque ipsos, si  
officio qui deessent, cæterosque item ho-  
mines sceleratos, coerceret. Et hæc cuncta  
de Sigbrittæ suæ suasu faciebat: quæ, in  
Belgio usitata, in Daniam invehere, in me-  
moriâ sui nominis, cupiebat. Hæc res,  
velut ad malignos compescendos instituta,  
quanquam utilis videretur; tamen, quia  
nova esset, nec in Daniâ visa unquam, vel  
audita, adeò graviter, ob tributi inusita-  
tam exactionem, animos offendit populi,  
hæcenus in regem proni, ut ex æquo om-  
nibus invisus fieret. Neque ea res dun-  
taxat hominum studia avertebat; sed &  
plura alia erant, quæ, Sigbrittâ incitante,  
indies committebantur: atque ex illis istud  
certè, non indignum memoratu. Cum in  
Daniâ, uti aliis regionibus, ferè fieret, ut  
nobilium, civiumque locupletiorum, filii  
idedò scholas sectarentur, quo se illi aulae  
aptos, isti mercaturæ redderent, aut mu-  
neribus melioribus, quibus ipsi obeundis  
quæstum aliquem facere possent; scholis  
verò, aut ecclesiis, nemo animum applica-  
ret; ne & hæc ministris suis tandem desti-  
tuerentur, usu introductum fuerat, inde  
à religionis Christianæ apud Danos is-  
choatæ primo tempore, ut tenuiorum fi-  
lii, qui in ludum literarium, ad doctrinam  
liberalem capiendam, dati essent, ad ino-  
piam sublevandam, cibum sibi, resque ali-  
as necessarias, ostiatim corrogarent. illud  
verò diligenter cavebatur, ne promiscuè  
qualescunque admitterentur: sed exa-  
men præcedebat, & ingenii exploratio.  
quique sic magistro ludi industriam suam  
approbasset, ut ecclesiæ aliquando, sive  
scholæ, adjuvandæ spem ostenderet, illum  
demum, disciplinâ uberiore imbuendum,  
retinebant: cæteros à se, ad discendam  
artem aliquam manuariam, aut rem rusti-  
cam exercendam, ablegabant. Ac, digno-  
sci ut à reliquâ mendicantium turbâ pos-  
sent, utebantur togâ talari, sic confectâ,  
ut, suspensa ex sinistro tantùm humero,  
corpus universum tegetet; neque partem  
ejus ullam nudam fineret, dextero exce-  
pto

pto brachio : ut sic illà quoque manu expedità stipem acciperent , & in manticam reponerent. Pileum rotundum habebant , circumquaque duplicatum ; cuius pars postica longior , corrugata , ac densata , in cervicem propendebat. duæ in utroque latere rugæ erant , cæteris magis conspicuæ ; quæ significarent ipsis , gentem Danicam , postquam fidem Christianam amplexa esset , bis ad cultum idolorum recidisse : ideoque adspectu harum assiduo commonefierent , ut deinceps veram in deum pietatem , ac doctrinam Christianam , quâ tunc animos præceptores tantâ curâ imbuebant , constantissimè tuerentur. Istos pueros , veste illâ , ex recepto dudum more , victum sibi ostiatim conquirentes , cum Sigbritta nullo modo ferre posset , fures esse omnes clamitat , & sub togis furta sua occultare : ac , nisi ocyus ad aratra abigantur , fore , ut Hafnia universa furibus mox compleatur. Neque prius conquievit , quàm edicto Christiani omnes illi , magno regni , & ecclesiæ , cui inservituri erant , detrimento , ac dedecore , pellerentur. Hæc , & alia istiusmodi , odium populi implacabile in Sigbrittam concitârunt. Christianus , qui in Suecos grave bellum agitabat , subditis tributum imperat , quale nunquam ad id tempus ulli regum usitatum. jubet singulos omnium regnorum ordines decimam solve- re ; non duntaxat è redivisibus , sed & cunctis facultatibus : tam indignè rigidâ exactione , uti nec quæ incubarent ova anferes , neque quas gestarent plumæ , censui eximerentur : quem & in argento puro universum exhibere cogebantur. Ad episcopos verò regni blandè , ac demissè , scribit ; *uti suos hortarentur , ne in præsens bellum in Suecos perduelles cogitantem destituerent , aut necessitati ejus subvenire gravarentur.* Mittit & Casparum Brochmannum , qui tunc ab epistolis erat , ac procancellarii mox munus gessit , ut rem eam , quanto sanè posset studio , promoveret. Qui & illud demum effecit , ut episcopi , quisque in suâ dicecesi , uti morem voluntati regis gererent , aliquoties convenirent , ac negotium disceptarent. sed consensu tamen uno responderunt ; *nunquam à majoribus ejus quicquam ab ipsis ex heredi-*

*tate avitâ postulatum ; verùm tantum è redivisibus , quibus beneficio illorum , gratiaque , fruebantur : id præstare , precibusque pro felici belli eventu , ac salute domus regie , apud deum intercedere , etiam nunc paratos esse. Orare verò quàm humillimè , ut ecclesiæ libertatem , à majoribus ejus semper sartam teclam magnâ curâ conservatam , ipse quoque tueatur : neve gravi adeò onere eam premat.* Annuit rex postulatis ; & , tributi gravitatem ut minueret , condonato patrimonio , ea tantum , quæ ipsius beneficio possiderent , censui subesse voluit : ac quæstoribus imperavit , ne quid aliunde exigent. Postquam suis hoc tributum indixisset , sociorum quoque auxilia advocare visum fuit. Itaque legatos mittit ad Franciscum , Gallie regem , Georgium Schotbergium , Philippum Rotomagum , & Antonium Moguntinum ; qui , negotium demandatum felicissimè exsequuti , à Francisco quater mille auxiliares , & tormenta ænea quatuor , impetrârunt. Expeditâ Gallicâ legatione , Moguntinus , ut præceperat Christianus , in Hispaniam excurrebat , ad affinem regem Carolum ; ut solutionem dotis Isabellæ , quæ tercentum millium aureorum erat , procuraret : Schotbergio interim in Picardiâ ejus reditum exspectante. Cumque mox reverteretur , ac negotium perfecisset , habito per Flandriam itinere , ambo Antverpiam , celebre Brabantie emporium , petiere : ubi tertiam dotis partem magistratus soluturum se promisit. Quippe inter Christianum Carolumque sic convenerat , uti summa universa tripartitò solveretur. Itaque trientem primum tunc Schotbergius secum attulit ; alterum mox Ioannes Hofmannus , nauta regius : tertium Tilmanus Gisselius , maris præfectus. quanquam sint , qui de trientis ultimi solutione planè dubitent. Sub id tempus cum Birgerus , regni Daniæ archiepiscopus , diem suum obiisset , Georgius Schotbergius , qui præclarè obitâ legatione Christianum , antea quoque magnâ apud eam gratiâ , devinxisset , ipso maximè annitente , surrogatur. Lundenses quidem de collegii sui cœtu Agonem elegerant , virum genere , ac virtute , pariter clarum ; sed , Schotbergium postquam rex ad dignitatem hanc promotum omninò vellet , ejus se-

se voluntati, ipso quoque id Agone concedente, submisere. Decreverat ordo ecclesiasticus, quod Birgerus, genere obscuro natus, ad hoc culmen ascendisset, ne deinceps ad episcopatum quisquam qualemcumque admitteretur, nisi quem profapiae item claritudo commendaret. Ac decreti quidem hujus episcopis auctores erant quidam e primatibus regni; qui, quod sub Birgero acciderat, indignati, mores suos à plebejis castigari, ne id liberis quoque suis, posterisque eveniret, sese mutuo, & episcopos, loco nobili prognatos, instigabant, illud uti secum agerent, ut in posterum dignitatem episcopalem nobilitati vindicarent. Nec episcopi abnuebant; quippe qui, mutationes in ecclesia impendere certis signis praevidentes, aliquod sibi contra eas munimentum in re illa positum existimarent. itaque in hoc consensere: sed decretum, cum id temporis promulgare non consultum videretur, occultari in occasionem placuit. Schotbergius, summus regni praesul constitutus, Mathiam Marquardum, & Henricum item Langium, Romam mittit, confirmationem sibi à pontifice petituros. Quo sex aureorum millia postulante, nec legatis polliceri tantum ausis, ocyus recurrere Langius, ut Schotbergio rem referret. Qui, negotio sine mora expedito, cum redire hunc juberet, Magni quoque Goyæi jussu, aulae regiae tunc praefecti; tum Henrici, abbatis Sorani; & Eschilli, antistitis Anderschoviensis; aliorumque item regni senatorum, literas dat ad pontificem: quibus petit, *ut diplomate pontificio minaretur Christiano, ni Sigbrittam, faeminam impiam, & consilia ejus cuncta pervertentem, cujus filiam diu antea, in contemptum conjugis suae Isabelle, faeminæ multo illustrissimæ, magnâ cum offensâ Dei, omniumque regni ordinum offendiculo, concubinam habuisset, removeret, sacris sese ei interdicturum esse.* Langius, neglecto officio, literas eas, & mandatum, illicò Sigbrittæ prodit: quæ ad regem statim defert. isque, ut consilium hoc senatus sui impediret, Romam Langium ablegat; comitemque illi addit Theodorum, tonsorem suum, hominem summâ avaritiâ, ac libidine, & flagitiis denique pluribus coopertum: sed, quod instar omnium virtutum esset, à Sig-

brittâ commendatum. Et, Schotbergii odio ardens, quem non tantum dignitate, nuper in eum collatâ, sed & vitâ, spoliatum cupiebat, addit literas ad pontificem, quibus petit; *ut depulso, quem evexerat pridem, Schotbergio, pallio archiepiscopali hunc legatum, Theodorum, exornaret.* Idque facile à pontifice, regem sibi devincire cupiente, impetravit. Simul & Marquardum revocat, ac redire in regnum jubet. Schotbergius, per summam injuriam sic dejectus, facile tamen à pontifice mox obtinuit, ut & sedes ipsi sua redderetur, & redacto in ordinem tonsore illo, à Lubecensi ac Bremensi episcopis confirmaretur. Tum &, ut se contra iram, odiumque, Christiani communiret, literas commendatitias illi affert. Quibus motus, cum pontificis sibi gratiam eo tempore necessariam maximè existimaret, presso animi affectu, in speciem benignè excipit; & passurus etiam facile videbatur, ut capefferet destinatam dignitatem, si per alios licuisset. Sed complures è proceribus, atque hi propinqui Agonis, quem Lundenses sibi elegerant, hunc dejectum indignati, minis gravibus hominem deterruere; ita ut recurreret Romam, & suarum rerum statum ad pontificem referret: qui mox ipsum ad Coloniensem episcopum, ut vicariâ ejus operâ uteretur, amandavit. Christianus, postquam insulam Bornholmum magno sibi ad bellum Suecicum, quod jam totus cogitabat, usui fore animadverteret, à Lundensi archiepiscopo, ad quem ea pertinebat, sibi illam, saltem dum id bellum gereret, dari petit: sed, collegio recusante, cum primores ad se Hafniam evocasset, nihil doli suspicatos, comprehendit, & in voluntatem cogit. Nec Bornholmum tantum extorquet; sed Ahufam quoque urbem, in Scaniâ sitam: tum & plura alia, quæ possidebant. Inde Theodorum suum, de quo paulo ante dixi, illis praesulem constituit; quanquam istâ dignitate, malis artibus comparatâ, minimè diu fruiturum: quippe qui non multo post, offenso rege, in crucem actus, & in ignem hinc abductus per ludibrium, vitam, quam probrosam egerat, cum infamiâ consummavit. Per id tempus, cum auxiliares copiae, à Francisco Galliarum rege missæ, advenissent; & in urbem, jam extraneo diversarum nationum milite ple-

plenam, eas quoque Christianus admiffet; ortâ inter Scotum ac Germanum lite, & conflictu, ut in tantâ, ac tam variâ, multitudi- ne ferè solet, & utrinque totâ gente ad certamen concitatâ, ingens mox tumultus fuit. Quem cum rex, ex arce accurrens, coercere, cum periculo vitæ suæ, quam frustra, nisi esset; tandem, quodam, qui sub ipso ejus equo latitantem adversarium interfecerat, noctu ad supplicium raptus, vix compescuit. Hanc gregariorum pugnam alii duo illustres viri excepere. Quorum unus, Ivarus Lungius, gente Danus, ac profapia nobilissimâ; alter, Georgius Tegnagelius, è Germaniâ oriundus; uterque, rei militaris laude excellens. Lungius complures annos sub Francisco, Galliarum rege, ac Burgundiæ duce Carolo, aliisque illustrissimis principibus, militaverat; qui virtutem quoque ejus, atque fidem, aureis catenis singuli honoraverant: hasque ipsi, quoties in pompâ regem comitaretur, equi sui collo appensas, velut fidei in tot principes monumenta, ostentabat. Isto nomine satis regi commendatus, ut præterea gratiam ejus sibi obstringeret, armaturam, frabrè factam, quam è Galliâ secum attulerat, muneratur. Tegnagelius, qui stipendia item varia sub principibus multis fecerat, & militiæ clarum nomen comparaverat, cum moliri bellum in Suecos Christianum famâ acceperat, ipse quoque Daniam petere, operamque ad hanc expeditionem offerre, statuit. Ideoque itidem egregiam quandam armaturam è Germaniâ apportavit; regi illam, ad captandam ejus gratiam, donaturus. Idque fecit; & obtinuit commendatione suâ, ut rex istam supra Lungii æstimaret. Iam utrinque æmulatio quædam erat; cum & Lungius, hominem sibi peregrinum, si armorum laude æqualem, tamen non superiorem, anteponi, ægrè ferret: & indigenæ quantumvis Tegnagelius, cui parem sese crederet, nihil esse concedendum existimaret. Et hæc res majorem in modum animos exasperabat: multò magis, quod uterque peditatus universi præfecturam affectaret. Rex, dissidio intellecto, quemque, quæ donârat, arma induere jubet: atque, hastis concurrentes, experiri, utra meliora essent: qui vicisset, illum sui pe-

ditatus ducem fore. Placuit conditio un-  
trique; & concertant, die, ac loco, præ-  
stituto, in coronâ spectatorum frequen-  
tissimâ: cum, impactâ in oculum hastâ,  
adversarium Lungius sternit. qui victo-  
riæ tamen fructum, vitæ paullo post ere-  
ptus, non percepit. Dum in aulâ hæc ge-  
runtur, Lundensis ac Roschildensis an-  
tistites, de pontificis mandato, in Steno-  
nem, cæterosque, qui Gustavum, regni  
Sueciæ archiepiscopum, expulissent, sen-  
tentiam ferunt, & Gustavo satisfaciendum censent; tum & sacris, dum pare-  
rent, interdicut: insuper Christiano  
mandant, ut vindictam ferro, ac flammâ,  
persequatur: idque ipsum sic pontificem  
statuisse. Christianus, qui jam in procin-  
ctu erat, magis etiam hac sententiâ incita-  
tus, illic coactas copias, sub ductore O-  
thone Crumpenio, viro belli eccellente,  
trajicere in Scaniam jubet. Addit clas-  
sem, benè instructam, quæ finitimos Sue-  
ciæ portus occuparet: ut sic eos simul  
terrâ, ac mari, premeret. Imperat item O-  
thoni, ubi fines Sueciæ ingressus foret,  
quocunque progrediretur, uti causas ex-  
peditionis suæ proclamaret: ac diploma  
pontificium, quo hæc regi mandaretur,  
ad templorum valvas figeret. ille impe-  
rata exsequi; &, impressione factâ in in-  
teriorem Sueciam, postquam latè omnia  
populatus esset, deficiente comœatu,  
neque hoste usquam in prælium prodeun-  
te, domum copias reduxit. Sed regres-  
sus, ineunte Februario anni proximi, cum  
majore multo exercitu, obvium Steno-  
nem habuit. qui, cum eum viam in in-  
troitu Sueciæ valdè arduam superasse, ac  
movere in Oplandos cognovisset, Stran-  
genesæ, militem exspectaturus, paulum  
stetit. Interimque ad Gustavum, quem  
offenderat, ne is se cum hoste jungeret,  
urbis præfulem Mathiam, Magnum Gre-  
num, aliosque, mittit ocyus, ad concilian-  
dum sibi viri animum: quippe cujus in af-  
fectu maximum momentum patriæ situm  
esse, nullo modo ignorabat. Is tum En-  
gelholmi erat; ubi eum accedentes orave-  
re, *ne consilia in Stenonem, patriamve, capere  
vellet: neu cum hoste se conjungeret.* Atque,  
illo protestante, *nihil tale in mentem esse; ca-  
terum indignè factum à Stenone, qui, discordia*  
ipse

ipse auctor, neque sanguinis, neque patriæ, ullam planè rationem habuisset : illis verò culpam porrò deprecantibus, tandem affirmat, se injuriam reip. condonare, neque fidei, aut obsequio, defuturum. Quo responso lætus Steno, animoque confirmatus, obviam ire hosti statuit; ac, cum pridem peditatum præmisisset, ipse mox cum equitatu universo iter inivit. Cumque ad Bovensem sinum pervenisset, valido ibi è concæde densâ arborum munimento excitato, intrâ quod confisteret pedes, etiam ipse illic sistit. Inde mittit glaciem exploraturos, an ferendo exercitui, prælioque committendo, satis ea firma esset. quo comperto, decem millia rusticorum, quos ad limitem defendendum congregaverat, excubare ad concædem illam jubet; ipse in glaciem, ibi hostem observaturus, totum equitatum ducit. tum, propinquo utrinque exercitu, regiarum copiarum dux Crumpenius in adversum equitatum explodere tormenta jubet; alteroque statim ictu crure fauciatus Steno, ipse equusque conciderunt: tertio disjecti omnes, fugam capiunt, ac Stenonem, quàm gravissimè vulneratum, secum abducunt. qui cum ad Venerium lacum pervenisset, inter transeundum exspirat. Crumpenius, Stenonis fugam expugnandi munimenti occasionem arbitratus, impetum in illud facit: sed, præsidio admodum strenuè repugnante, cum suorum magnâ clade retrò cedere est coactus. hinc Vallesius, Gallici peditatus ductor, postquam pugnam instaurasset, ac in munimentum ipse enisus esset, ut exemplo suos ad virtutem accenderet, cum fortissimè dimicaret, æquè infelici eventu, vulnere letali accepto, itidem repulsus fuit. quanquam neque sic cessatum; & idoneo magis loco, quando hinc non successisset, rursus oppugnare visum. itaque, captivorum indicio, ibi invadunt, ubi ascensus magis facilis: capiuntque, & disjiciunt, ut introitum suis liberum aperirent. inde, profligato hoste, rectâ in Oplandos movent, & Vpsaliam contendunt: ne, Stenone jam sublato consternatis, novi ad certamen loci, aut consilii, capiendi, aut recolligendi sese, spatium darent. Quidam è fugâ Strengenesam se receperant, ut, consiliis cum Mathia episcopo

communicatis, aut continuarent bellum, & coactis rursus copiis, hosti occurrerent; aut conditione æquâ pacem peterent, & in ejus potestatem sese traderent. Dum deliberant, Dani, sine ullâ morâ castra sua promoventes, porrò in Oplandos tendunt. quod cum Sueci accepissent, variis locis concurrentes, consultabant, quoniam modo aditu hostem imminemtem prohiberent. Sed consilia frustra erant, cum deesset, qui in hostem ipsos duceret. Convenere quidem rustici; sed, militiam detrectante equitatu, & in pugnam sine duce proditurum se negante, quanquam illis pro hæredibus Stenonis præliandum occlamantibus, irritus conatus fuit. Christina, vidua Stenonis, missis literis, à senatu regni petit; ut, indigenis convocatis, ipsi quoque arma sumerent: ac cum ægrè cunctabundum impulisset, visum tandem universas regni vires Iversundam convocare, atque ibi hosti opponere. quo statuto, convenire statim jussi, quotquot arma ferre possent, nullo ordinis discrimine, rustici, cives, nobilesque. ac jam millia multa aderant; cum nonnulli è nobilibus, coram hostem conspicati, territi que copiarum magnitudine, inter se vociferantur: se sublato jam Stenone, scire velle, cujus causâ vitam porrò impensuri, aut quo duce usuri essent. Quâ re consternatis cæteris, cum gubernatoris munus, isto quidem rerum statu, nemo in se recipere vellet, equitesque jam paullatim se subducerent, trepidare etiam peditatus coepit. Quem cum fugam circumspicere reliquus equitatus cerneret, ipse quoque ocyus Strengenesam fugit: quo primates quidam regni, Temelfoo ab exercitu discedentes, se receperant, uti cum Mathia episcopo de re summâ consultarent. Itaque, dissipatis copiis, quæ, si hostem non omninò remove, saltem remorari posse credebantur, nihil prius aut Mathiæ, reliquisve optimatibus, qui frequentes huc convenerant, visum fuit, quàm ut pacem, aut inducias, quibuscunque demum modis, impetrarent. Iam ad ipsam Strengenesam castra Dani, fugientes insequuti, collocaverant: ut cognoscerent, præliatione experiri, an deditonem potius facere vellent. Quâ de causâ dat Mathias ad Crumpenium ducem

ducem literas, indicatque, esse sibi, quæ cum eo de constituendâ pace colloquatur: id cum è re utriusque regni putet, uti locum non suspectum designaret, in quem convenire possent. nil se magis, proceresque regni ceteros, exoptare, quam ut, sine ullâ cade, borealium regnorum pax antiqua, sæpiusque intercepta, semel tandem in perpetuum sarciatur. Ad has literas respondetur à Crumpenio; se annuere postulatis, & conventum Vpsalix velle; quò venturis liberum comœatum fore: ac concedere undecim dierum tempus, quo itineri se pararent. Quibus ita constitutis, statim proceres toto regno evocantur, ut Vpsalix, nullâ morâ interpositâ, die præfinito adsint. Inter primos aderat Mathias, præsul Strengenesius; & Gustavus, Sueciæ antistes summus: moxque plures è senatu advenere. sed, priusquam quicquam agerent, cum Stocholmum, urbs primaria, à Christinâ, Stenonis viduâ, teneretur; & non pauci etiam ex equestri ordine, Christiano adversantes, illuc sese recepissent; tum & passim toto regno multi essent, qui, Vpsaliam convenire recusantes, insuper ad arma plebem concitarent, placuit, è gente utraque ablegari ad Christinam, qui inquirerent, ecquid ipsa, ceterique ordinis equestris viri, qui cum illâ se conjunxerant, omnia, Vpsalix constituenda, rata habituri essent. at consilio illi statim reclamatum à plerisque; asserentibus, ultrâ quicquam cum his agere, qui venire ad comitia advocati noluissent, planè nihil aliud esse, quàm eorum contumaciam magis etiam confirmare. multò satius, cum Crumpenio, & adjunctis illi ducibus, de constituendâ pace, in omnem ævum duraturâ, nomine totius regni inpresens agere: quâ confectâ, qui nunc animos tam præfractè in contrarium obstinarent, facile consensuros esse. Quibus moti rationibus animum Sueci induxere, ut de pace cum Crumpenio, ceterisque qui cum eo erant ducibus, agerent. is Vpsaliam tunc advenerat, & nonnulla militum lectissimorum in securitatem suâ signa adduxerat. antequam negotium tamen inchoarent, ut Christinæ, aliisque, qui in ejus partibus erant, abundanter satisfacerent, mittunt, qui deprecarentur; ne propositum, ad eò regno necessarium, atque utile, suâ ipsi contumaciâ perturbare porro velint: quin id potius annituntur, ut ad finem, bonis civibus universis exoptatum, felicissimè per-

ducatur. Sed, cum illos nec responso dignarentur, seridò à parte utraque, quæ Vpsaliam tunc convenerat, agi coeptum. Ac confestim, cum Crumpenius regis literas, quibus illi summam rei peragenda potestatem tribuebat, Suecis illas exigentibus ostendisset, pax decreta, in condiciones istas. *Vri Sueci, qui in fidem Christiani ultrò sese tradidissent, ab eodem in gratiam reciperentur. Tum injuria, si quas illi à Ioannis patris tempore qualicunque occasione intulissent, condonata, si in fide permanerent, sempiternâ oblivione deleterentur. Regni etiam præfecturæ, atque feuda, quæ nobilibus hæcenus concessa essent, deinceps quoque in eorum potestate permanerent. Denique cunctis, singulisque, jura regni universa, privilegia, pristina immunitates, ac receptæ consuetudines, servarentur: neque quicquam contra jura, à divo Erico constituta, si obsequium retinerent, sanciretur.* Factâ hunc in modum pace, literisque à Crumpenio confirmatâ, Dani pariter Sueciq; iterum Christinæ mentem, ac nobilium cæterorum, explorandam censuere. Itaque visum, propius Stocholmum accedere: si fortasse ad colloquium extra urbem evocare eam possent; aut in urbem ipsi quoque, ad consilia conferenda, animosque leniendos, intromitti. Ergo, Vpsalix profecti, quinque millia armatorum adducentes, cum senatus eâ parte, quæ convenerat, postquam Spongam advenissent, substitere; & Gustavus, summus regni Sueciæ præsul, ac Mathias Strengenesius, suum quisque cancellarium ablegarunt, qui suaderent, ut prodirent ad colloquium, sive Spongam, seu quocunque loci vellent: aut, si isthoc recusarent, aliquos suorum admitterent. Hi cum urbem accessissent, contingentem illam pontem intercisum, adituque introire cupientes prohiberi, deprehendunt. Quâ de causâ subsistentes, nutu indicant oppidanis, cupere se intromitti. Prodit itaque vir provectiore ætate; ordinisque senatorii; ac, quid vellent; percunctatur. cumque illi, à senatu regni missos, qui tunc Spongam convenisset, responderent; literasque ad Christinam, & nobilitatem reliquam, apportare, expectare eos jubet; se in urbem regressurum, ac Christinæ ipsorum adventum, ac mandatum, relaturum, ocyusque cum responso reverfurum. cum

hoc dicto, ille abit. cuius reditum dum ad pontem subsistentes præstolantur, Magnus Grenus, qui in partibus Christinæ, è subjecta urbi insulâ, quam appellant S. Spiritus, in nil tale cogitantes aliquot tormenta explodit: ita ut consulere vitæ, ac recedere, cogerentur. Itaque reversi Spongiam, rem renuntiant. Quâ acceptâ, desperantes de conciliatione, domum Sueci concesserunt. At Crumpenius, cum suppetias expectare Stocholmenses à maritimis civitatibus intelligeret, Stephanumque item Saxonem ad Elsbabbium classem habere; ut aut eam interciperet, oppidove prohiberet, totum illuc agmen duxit. sed, priusquam adveniret, gnarus hostis naves altius provexerat, ne contingere eas posset: eam ob causam, irritus consilii sui, Vpsaliam redit. Vbi cum spem nullam videt, ut Christina, cum nobilitate sociâ, in sancitam recens pacem consentiret; neque, hieme prohibente, obsideri urbem posse; consilio cum cæteris ductoribus communicato, in hiberna distribuere copias statuit. itaque pedites Westerarsæ mille locat; qui hanc oram contra Suecos, etiam tum rebellantes, atque pacem cum Christinâ recusantes, tueantur: equites, Strangenesæ imponit; qui curarent, ne Mathias, loci episcopus, reliquis invisus maximè, quod in regem propenderet, quicquam detrimenti caperet: alios, alibi esse jubet; atque sedulo providere, ne quid damni paterentur, qui in pacem consensissent. Quæ in Sueciâ dum geruntur, Simon Malius, vir illustri genere natus, & militiæ perquam clarus, cum selectis mille quingentis peditibus, per Smlandiam, & Ostrogothiam, facto itinere, regis jussu, ad Crumpenium se adjungit. qui, validior tam insigni incremento, animoque confirmator, copias, quas retinebat, militemque adventitium, mox Vpsaliam reducit. Vbi dum hibernat ipse, variè tumultus oritur; incurfantibus in præsidia circumposita, & amplexos pacem indigenas, perduellibus. Primi cum vicinis suis Westerarsæ cedere Danos, aut fugare, conabantur; sed, consilio deprehenso, cum se illi subduxissent, & Vpsaliam contenderent, jam progressos Salingassam, locum insidiis opportunum, subito adoriuntur.

Hic pugnatum quam acerrimè; dum victo-  
riam Sueci quærunt, Dani verò, in discrimi-  
men summum adducti, etiam vitam vindicare conituntur. Sueci Danos, loci iniquitate pressos, undique graviter invadebant: illi contra, qui præsidium sibi nullum, nisi in virtute suâ, situm animadvertebant, in apertum campum erumpere ex angustiis maximopere conabantur. Nec virtuti etiam fortuna defuit. Nam, nisi cum ingenti hostium strage, eos dissipatos fugant; duce Olao Petreio, qui tumultum concitaverat, profligato: & Vpsaliam salvi evadunt. Nec multò post tumultuatum etiam gravius, duce Lamberto Mathiæ; & in ipsum jam Crumpenium impetum facere visum fuit: quo sublato, cæteros quoque, variis locis disparatos, profligare, patriæque libertatem restituere, satis in proclivi fore. Itaque Vpsaliam itum; quò cum jam perventum esset, alloqui Lambertus suos, & virtutem oratione comparatâ excitare: *meminissent, jam pro patriæ libertate dimicandum. ideò, si unquam aliàs, nunc se viros exhiberent, at conjunctis hostem viribus, quantâ possent fortitudine, oppugnarent; quem si victum profligassent, patriam armorum metu, se, uxores, liberosque, servitute non ferendâ liberarent: tum Stenonis quoque filiis, qui, pro patriæ ipsorumque libertate fortiter pugnans, mortem pridem oppetiisset, vitam, fortunasque, assererent. Id Christinam admodum enixè orare; quæ, nunc viro spoliata, ac præsidio amicorum destituta, cum se nusquam ab hoste tutam animadverteret, Stocholmum fugere, unicum tam luctuoso tempore asylum regni, sit coacta. ubi mærens, ac pullata, supplices ex urbe clausâ tollens manus, ipsos omnes obsecraret, ut, fortunam tam iniquam miserantes, è calamitate summâ, in quam devolutam scirent, pro virtute suâ eriperent.* Dum Lambertus in hunc modum animos suorum accendit, qui ad urbem excubabant, viso hoste, rem Crumpenio renuntiant. Erat dies, quo memoria Christi crucifixi colitur: atque ille in templo sacris audiendis pietatem exercebat. Itaque, accepto nuntio, statim egressus, arma capere suos jubet; & educit extra urbem in planitiem, quæ prospectum quam liberrimum in quascunque partes daret: acieque ordinatâ, & ad prædium, sepimento satis valido communitum, stare jussâ, illic



licò tormenta explodit, velitemque in ho-  
 stem mittit. Cœlum, densâ nube obdu-  
 ctum, solis radios, visum aliàs perstrictu-  
 ros, occultabat; sed incommodum aliud  
 ortum, quod Danorum ad certamen ine-  
 undum alacritatem perturbabat. Nam  
 permixtus grandine, pluviaque, ventus o-  
 ra illorum infestabat, Suecis tergo obver-  
 so liberis, & ad pugnam nihilominus ex-  
 peditis. Tum & nix, quæ spissa humum o-  
 peruerat, liquefacta, faciebat, ut equorum  
 impeditus usus esset; cum, suppectâ eâ so-  
 leis, & in pilam rotundatâ, solo lubrico  
 lapsabundi, mox fessorem quoque effun-  
 derent. Accedebat, quod tormenta, pon-  
 dere suo defidentia, commodè explodi  
 haud possent. Ac jam prælium fervebat;  
 adeoque lævum cornu, Suecis maximè in  
 hoc ipsum incumbentibus, vehementer  
 laborare; quin & retrò gradum ferre: cum  
 inexpectatus casus animum vix consisten-  
 ti, & virtutem, confirmare. quippe miles  
 veteranus, rapto signo de signiferi proxi-  
 mè adstantis manu, quem videbat trepi-  
 dantem, clavis ferreis duobus è marsupio  
 suo promptis, illud sudi præacutæ in pro-  
 pinquo sepimento sic affixit, ut avelli per-  
 quàm difficulter posset: tum inclamat al-  
 tâ voce. *nunc, commilitones mei, hoc est tem-  
 pus, cum virtutis prisca vestra, ac majorum,  
 meminisse vos oportet: nec permittere, uti ho-  
 stes isto regis nostri signo, nisi cum ingenti cæ-  
 de, potiantur.* Vix finierat, cum vi magnâ  
 Sueci irruunt, & potissimum in hoc signum  
 impetum faciunt: verum Dani, summâ ani-  
 mi fortitudine obsistentes, editâ non parvâ  
 strage, illud vindicant. diu acerrimè dimi-  
 catum est: Suecis pariter, Danisque; quàm  
 fortissimè se gerentibus. Sueci numero su-  
 perabant, ac triginta circiter millia exsti-  
 tisse memorantur, cum vix octo millia Da-  
 norum essent: sed & loco, atque vento,  
 æquiore utebantur. Verum Dani, quan-  
 quam tantò pauciores, insuper iniquitate  
 loci, & cœli, premerentur, totis viribus  
 adnitentes, misso in hostem equitatu, tan-  
 dem aciem perumpunt, dissipantque. fu-  
 gientes, partim cædunt; partim in horreo,  
 ad siccandos illic lateres juxta pugnae lo-  
 cum structo, quo confugerant, igne exu-  
 runt; partim in propinquum amnem actos  
 mergunt. cecidere circiter viginti millia;

ac Danorum, quatuor desiderata: & in cis 13  
 istis Simon ac Sivardus Malii, duo fratres, xx.  
 uti belli laude clari, ita quoque mortis glo-  
 riâ, quam in pugna tam illustri obiere. Hac  
 repressi clade Sueci, aliquamdiu quievire;  
 ac interea Mathias, Strengenesius episco-  
 pus, cum equitibus, quos Crumpenius  
 Strengenesiæ imposuerat, dioecesin uni-  
 versam circumequitans, omnes, qui in  
 Christiani verba jusjurandum dare recu-  
 sarent, ad sancitam pridem pacem ample-  
 ctendam porrò adigit: antea acti temporis  
 injuriarum veniam, & oblivionem, fore  
 spondens. adeoque in senatu regni Sueciæ  
 nemo fuit, qui majore Christiani regis stu-  
 dio in hoc ipsum incubuerit, ut sub ejus  
 potestatem regnum universum cogeret:  
 quanquam ille nimis sanè indignam gra-  
 tiam viro adeò præclare de se merito mox  
 retulerit. sed malorum ita principum fert  
 ingenium; ut, obnoxii subditorum bene-  
 ficiis, cum se impares compensandis ob-  
 eorum magnitudinem esse videant, destrui  
 fortunam suam per hæc ipsa arbitrentur:  
 ideoque, ceu offensis asperati, odium pro  
 gratiâ reddant; vindicentque, quod remu-  
 nerare nequeant. Stocholmenses, quan-  
 quam clade tam insigni pridem acceptâ,  
 necdum fracti, iterum, collectis viribus,  
 ad pugnandum prodierunt: sed, Mathia,  
 regiisque, ad Teliacum occurrentibus, fu-  
 si rursus, ac fugati; interfecto Ioanne Hel-  
 bredio, duce eorum; qui Christianæ à con-  
 filiis, summum quoque in illius gratiâ lo-  
 cum obtinebat. Gondo Gallus, & Eschil-  
 lus item Godus, ordinis equestris viri, mul-  
 ti alii, capti, ac Strengenesiam abducti: ubi  
 arctè à Mathia custoditi. Verum nec sic  
 debellati, literis partim, nuntiisque, spar-  
 sos passim factionis suæ socios exhortan-  
 tur; *ne in regni libertate asserendâ porrò cessent:  
 se paratos pro virili opem ferre, nec periculi par-  
 tem ullam detrectare.* Et hi sæpè magnis ani-  
 mis insurgentes, semper tamen repellun-  
 tur: quanquam semel, Arnem urbem po-  
 pulati, Iacobum capiunt, regni antistitem  
 supremum, virum clarâ pietate, ac virtu-  
 te. quin Vpsaliam quoque ipsam, quam  
 Crumpenius insidebat, adoriri demum au-  
 si: sed, præsidium cum in armis excubare  
 accepissent, à proposito destitit. Scissâ  
 in hunc modum Sueciâ; illis pacem am-  
 plecten-

plectentibus, illis, in Christianæ gratiam, recusantibus; ac utrisque mutuâ inter se cæde sævientibus; Christianus, à Crumpenio evocatus, ut hos motus coërceret, vere primo, cum instructâ navium multarum classe, ipse in Sueciam iter capit. verum, quia summo jure experiri, ac Suecorum tot delicta, cum in avum Christianum, inde in Ioannem patrem, tum & in se, sub prætextu exsequendi pontificii mandati, semel tandem severissimè vindicare constituerat, quos potissimum è senatu regni sui ad negotium magni adeò momenti adhiberet, reputare secum cœpit. etenim sic statuebat, viros animi mitioris, & amantes æquitatis, quos in istud nullo modo consensuros ipse satis prævidebat, minimè sibi in consilium admittendos; sed quærendos, qui, rigore abrupto præditi, & supplicium approbarent, & pronuntiare auderent. Quod dum agitat, indolemque senatorum secum anxie perpendit, nullos magis aptos censet, quam Lundensem archiepiscopum, Theodorum; & Ioannem item Calvum, episcopum Othoniensem. atque Theodorum quidem, multis sanè beneficiis, uti eâ, quam tenebat, dignitate, jam obnoxium sibi fecerat; ac Ioannem, faciendum existimaverat. quare captum in Burundiâ, propter causam antea commemoratam, illicò dimitti è vinculis, & adduci in aulam jubet. Isque, cum rex voluntatem ipsi suam exposuisset, libertate, gratiaque, quâ exciderat, restitutâ, maximopere lætatus, fidem illi, operamque, pollicetur. Itaque cum his duobus expeditionem suscipit, atque deficiente Majo classem ad Stocholmum appellit. quod Crumpenius simul atque accepisset, cum adjunctis sibi ducibus, ac primariis aliquot Sueciæ senatoribus, qui in pacem consensissent, regem salutatum adit. Cum consilia contulissent, sine morâ urbem obsidere visum. atque, collocatis castris, inter regem, & majorem Sueciæ senatorum partem, pax, Vpsaliæ pridem facta, renovata, ac firmata; denuoque constitutum: ut injuria, & offensa, ex quacunque demum causâ ante illud tempus orta, sempiterna oblivioni traderentur. demique, quæ duces regii promississent, ea omnia, ceu rex ipse statuisset, rata forent. Quâ de re ne dubium

cuiquam esse ullum posset, additæ & literæ regis, fidei monumentum, ac pignus. Rex Stocholmum ita arctè obsidebat, ut omninò commeatus importari nullus posset. quo deficiente tandem, cum obsessi ad extrema adigerentur, adeunt Christianam proceres, qui cum eâ obsidionem tolerabant, ac deditonem suadent. Atque illa, postquam suos etiam deficere videt, neque spem auxilii ullam aliunde superesse, ægrè quamvis, assentitur: sed hâc lege, ut eandem sibi gratiam, quam obtinuissent illi, qui in pacem antè factam consensissent, paciscantur, idque factum; & Septembris die octavo magistratus extra portam claves urbis regi offert, ac solenni juramento in obsequium se obstringit. Quo peracto, urbem ingressus cum selecto comitatu, templum petit: inde, actis Deo gratiis, arcem ascendit. ac, diebus paucis aliquot interjectis, convocatis regni Sueciæ senatoribus, comitia Stocholmi indicit. qui cum omnes convenissent, in Brunchonis adjacente urbi monte concionem habere voluit. itaque conventus die præstituto totum eum milite implet, qui inclusos senatores veluti coronâ cingeret: ipse locum eminentiorem capit, ac Ioannem item Calvum, episcopum Othoniensem, verba pro se facere jubet. Is, exorsus altâ voce, initi à rege belli causas refert. Nempe, *regnum juxta leges ei velut proprium esse; ipsos verò contra illas, item fidem, quam & literis obstrinxissent, deliquisse, ac Stenonem elegisse: sed, his omnibus pace factâ condonatis, non exprobraturum porro. alterum esse, multò gravius, quod Gustavum, præsullem Vpsaliensem, regni Sueciæ primatem, quia in ipsum, ut debebat, propendere videretur, dignitate suâ exutum, iniquissimè habuissent; cumque in Daniâ is confugeret, arce Stegâ solo æquatâ, contra eum conjurassent: nunquam sese reditum in regnum illi permissuros, neque pristinam dignitatem reddituros: tum, quæ pena isto nomine cuiquam subeunda esset, nullâ prorsus personarum exceptione, omnibus communem fore. eum verò hanc injuriam, tam ingentem, ad pontificem retulisse; qui, indignitate motus, Româ ad regem literas dederit, quibus omnes fœda adeò conjurationis socios, ni Gustavum restituerent, & illata ei damna resarcirent, statim sacris prohiberet, ac sententiæ hujus suæ exsequutionem ei*

*demandaret. Cujus justa adeo petitioni cum deesse non duntaxat grave foret, sed periculosum etiam; statuisse ipsum inpraesens causam istam disceptare, & injustè oppressæ parti opem ferre: ideoque nunc cum armis advenisse. Hæc, & talia, postquam tandem Othoniensis perorasset, rex, dimissâ concione, in urbem redit; ac cognitionem causæ in Kalendas proximi Novembris differt. Eo die coronari constituerat; itaque ubi advenisset, cum solenni comitatu templum ingressus, à Gustavo, præfule Vpsaliensi, coram regni senatoribus, & in hoc consentientibus, consecratur. Aderat in hoc conventu Caroli V legatus; qui affinem sibi regem cum ornari etiam à se debere existimaret, aureum vellus offerebat. itaque, ad summum altare stante cum coronâ suâ Christiano, leniterque lævo brachio incumbente, in medium legatus prodit; ac, salute à Carolo V, fausta omnia apprecante, nuntiata, accedens propius, vellus aureum, symbolum societatis, toto orbe augustissimæ, in quam tunc reciperetur, collo ejus, paullum caput inclinantis, circumponit. In solenni illo actu, cum equestrem dignitatem Danis tantum rex quibusdam contulisset, nemini Suecorum verò hunc honorem habuisset; idque eos ægrè ferre, & inter se queritari, intelligeret: non operet, inquit, Suecos, quibus mecum acce diu bellum fuit, admirari, si non statim in interiorem illos amicitiam adhibuerim, aut ad aliquem altiore dignitatis gradum evexerim: cum cognoscere prius homines, quam ornare, sit conveniens. Porro, cum coronam regni accepisset, & præcipuos Suecorum è medio tollere statuisset, cum nonnullis, quos imprimis fidos sibi existimaret, rem communicat, & consilium eos rogat: quonam modo sic negotium institueret, ut ignaro quasi ipso, & invito, gestum esse videretur: atque ita sui facti culpam alienam faceret? atque erant, qui seditionem dicerent à militibus concitandam, per quam illi ad rapinam, & cadem, ruerent: alii, non tutum id existimabant; arrepturis arma quoque sua civibus, & victoriam Danis dubiam reddituris. Nihil satius, quam convivium instituire; & in arcem evocare, qui nobilitate generis, aut potentiâ, eminenterent: ita, specie benevolentie circumventos, in ipsius potestate omnes fore. Placuitque hoc consilium: quan-*

quam illum, quod summopere declinatum <sup>cis 12</sup> cupiebat, culpæ manifestum faceret. Ita- <sup>xx.</sup> que sine morâ proceres, ac nobilitatem cæteram, cum fenatu Stocholmensi, in arcem ad convivium vocat. & venire, quotquot invitati erant, nescii instantis mali. In hilaritate summâ primi duo dies acti: tertio Gustavus jussus accusationem suam instituire. Isque, datâ fandi veniâ, non injurias modo suas, verum etiam quas pater, & amici, pertulissent, gravi oratione refert: incitante ad hæc rege, &, ut nihil reticeret, adhortante. qui, auditâ accusatione ejus, quid Georgius Schotbergius, archiepiscopus Lundensis, & episcopus Roschildensis, Lago Vrnus, quos negotii hujus arbitros summus pontifex esse jufferat, statuissent, palam recitari mandat. Christinam quoque, in judicium advocatam, percunctatur; *cur maritus ejus Steno tantum in Gustavum odium concepisset, uti arcem Stegam everteret, ipsum verò regno ejiceret; atque in ejectum insuper, ne reciperetur unquam, conjuraret.* Ad quæ illa cum initio perturbata conticesceret, statim tamen, ab astantibus confirmata, animo recepto dicit; *nihil gravius in Gustavum, quam à cæteris conjuratis, à marito admissum esse: ejusque rei conjurationis literas, quibus omnes subscripsissent, fidem facere.* Rex, auditâ literarum mentione, quibus sese conjurati in Gustavum obstrinxissent; cum afferri eas illicò imperasset, & allatas mox legisset, lectas retinet: ac, discedens è judicio, duci in custodiam omnes in sequentem diem jubet. Simul Nicolao Bildio, tunc palatii præfecto, literas tradit; præcipitque, ut excerpta nomina conjuratorum in indiculum referret: isque, uti jussus erat, statim facit. neque mora; ad Novembris diem octavum, quo relati in indiculum erant ordine, omnes è custodiâ producti in forum ad supplicium. Claudi urbis portas jufferat; &, excubias dispertitus, imperaverat, ut præfectus provideret diligenter, ne evadere quisquam posset. Ordinata ad terrorem cuncta erant, & in magno cives metu versabantur; cum repente arx aperta, & eductus primò Ericus, cujus filius Gustavus postea regni præfecturam est adeptus: tum episcopi, Strengenesius, ac Scarensis; inde reliqui regni proceres, & senatus

senatus oppidanus. duo episcopi, cum in aream ante curiam, quæ supplicio miserorum destinata, pervenissent, petunt precibus, uti sibi copia sacerdotis fieret, cui peccata confitentes ritè sese expiarent: verùm non obtinere. Ioannes Brascius, episcopus Lincopiensis, vir insigni probitate, quique causam Christiani diu etiam propugnaverat, cum in forum ductus esset, & in genua jam procumbere, ac cervicem percussori exhibere juberetur; magnâ animi constantiâ, altâ voce, se infontem, ac injuriam sibi fieri, protestatus; cum omninò nil proficeret, circumstantes, & supplicio interesse à rege iustos, supplex rogat; *ut sigillum, quod ad conjurationis literas ipse appendisset, demeretur: illic eos clarum innocentie suæ testimonium inventuros.* quod ad regem postquâ ii retulissent; isque fieri, quod petebat, imperasset; sub interiore cera, in occultâ illic schedâ, manu ejus scriptum legunt: *quicquid hujus admisisset, ab invito expressum esse.* quod cum rex intellexisset, ceu ab aliis circumventum, & coactum subsignare, liberum pronuntiavit: & hoc unum æquitatis, in iniquitate summâ, exemplum dedit. interfecti à carnifice illo die septuaginta; vel, ut alii, quatuor & nonaginta: vim, Gustavo quam intulerant, occulto quodam Dei iudicio, etiam vicissim passi: ac communi omnes poenâ; sicut ipsi, futurorum imprudentes, pridem voverant. Neque isthîc furor stetit: trucidatis, qui ad cædem designati, miles in promiscuam plebem, quæ confluerat ad spectaculum, impetum facit, obviosque contrucidat. Hinc, propositâ cum nominibus proscriptorum quâdam tabulâ, etiam domus invaduntur, & latentes ad carnificinam cives extrahuntur. Cumque multi in obscura urbis loca metu sese abdidissent, ne elaberentur illi, promulgato mox edicto reliquis impunitatem pollicetur. Verùm homines, temerè creduli, cum in publicum prodiissent, itidem immisso milite obtruncantur. dies aliquot laniena hæc continuata fuit; maximeque in Ribingianam domum desævitur: ut, cum cædi ætas firma nulla ultra superesset, pueri arriperentur. qui, constrictâ in nodum comâ, è catastâ immaniter suspendebantur: hinc, cervicibus amputatis, corpora in terram trunca decidebant, capita in subli-

mi hærebant. Sed in nullum immanitate exquisitiore actum, quam Ioannem Margnum quendam. Hunc ad crucem, veste omni spoliatum, affixere. in quâ multa proloquutus, Deo innocentiam suam commendabat: multa quoque de crudelitate regis, ac perfidiâ, querebatur. quæ cum ei nuntiata, membrum viro genitale præsecari, & in faciem pendentis projici jubet. postea transverberatum illi latus, ad eò patienti vulnere, ut insertâ per id manu cor quæsitum extraheretur: quod & ipsum in occisi faciem abjectum fuit. denique, cum viris urbem exhausisset, ad rapinas se convertit; viduasque, ac pupillos, post maritos, ac parentes, interfectos, bonis itè cunctis exuit: nulli rei, sacre, aut profanæ, parcens. etiam in defunctos sæviit: & Stenonem, qui in prælio occubuerat, filiumque ejus posthumum, uno eodemque mense natum simul mortuumque, extrahi sepulcro iussit, & adduci in conspectum. ac Stenonis quidem corpus, postquam oculos fatiasset, etiam, factò nimis sanè inhumano, momordisse sunt qui tradant. Totum triduum præterierat, cum cadavera occisorum, passim in plateis sparsa, ac cruore suo foeda, comportari in forum mandat: ubi postquam illa quoque satis diu inspexisset, tandem, intercessione episcopi Othoniensis, extra urbem exportata, concremantur, cineresque dissipantur. Illaudatum certè facinus; & quod nulla unquam ætas conticescet: nulla etiam sine horrore, atque execratione, memorabit. Cum offensam eorum omnium, quæ in avum, patrem, ac se deliquissent, condonasse simularet; subdole Gustavi causam, quam sub ejus quoque offensis, uti erat, comprehensam existimabant, quia non disertè expresserant, separabat: ut in illâ vindicandâ suum odium exerceret. jure quidem, qui jam toties rebellassent, puniendos, atque ita coercendos statuebat, ut deinceps pacem vel inviti colerent; nec moliri tale quicquam, etiam si vellent, possent; sed non ista coercendi, aut decorè in officio continendi, ratio erat: nec, indultâ semel veniâ, ac sanctiâ omnium præteritorum oblivione, ullam sibi amplius vindictæ causam reserverat. Nunc perfidiæ, ac sævitie, geminâ se culpâ obstrinxit; quâ utraque nihil magis

gis neque Deus, hominesque, detestantur: neque principes, quis virtutis, uti debet, cara est existimatio, studio majore cavent. Neque diu poenam evasit; cum, à Deo solio suo deturbatus, in exilio, atque carcere, reliquum vitæ miser egit: cæteros exemplo suo reges, principesque, docens, ut supremum semper numen ritè colant, metuantque; & fortunâ, quantâ possunt moderatione, utantur: cogitantes, instar vitri eam esse; ac, cum maximè splendet, frangi. Sparsâ hujus cædis famâ, cum invidiam se non posse sustinere intelligeret, ut amoliretur eam, à pontifice, qui sacrorum usu Suecos prohibuerat, & ipsius quoque operam ad sententiam exsequendam imploraverat, per legatum hujus rei testimonium sibi petit. Is Ioannem mox Potentianum mittit, cardinalem; qui, legitima inquisitione habitâ, *nil à Christiano factum præter jus*, pronuntiavit. Verùm neque sic querelam hominum de se repressit. Cumque se, ac suos omnes, maximo apud Suecos odio laborare animadverteret, de discessu cogitavit: ita tamen, ne suspicionem fugæ ulli daret. Quam obrem, præfectis passim constitutis, summam regni, dum abesset, gubernandi potestatem Theodoro, pridem præfili Lundensi, tunc Scarensi, pro Vincentio interfecto, demandavit. hinc in Daniam proficiscitur, captivam Christianam abducens, liberosque, & matronas aliquot claras; quas reversus postquam Hafniæ aliquamdiu sub custodiâ tenuisset, mox Calundeburgum transtulit: unde postea, eo profugo, Fridericus, ipsi in regnum surrogatus, liberas abire jussit. Abduxit etiam Gustavum, Erici F. quem productum primum ad supplicium commemoravi. isque traditus Erico Bannero, viro equestris inter Danos dignitatis, ac Calloæ arcis præfecto; eâ lege, ut, si fortè elabi fineret, multæ nomine sena aureorum millia numeraret: ac cum, tanquam consanguineus laxiore sub custodiâ haberetur, habitu dissimulato, mox Lubecam, inde in Sueciam evadit. Vbi postea, concitatis Dalecarlis, regio cædit, aut expellit; & Stenonis ductâ filiâ, regni præfecturam capit: velut infra suo loco referetur. In itinere, cum diverteret apud monasterium quoddam cui

Novæ Valli nomen, monachos cum suo abbate, quia partem comæatus, ne diriperetur totus, in propinquâ illic silvâ occultaverant, etsi sanè, quantum ipsi, atque ejus comitatui, nutriendo satis esset, reservassent, post peracta ritè sacra, quibus etiam interfuerat, vix digressos ab altari, comprehendi, ac constrictos statim projici in vicinum flumen jubet. Abbas, liberatis manibus, cum in ripam enataisset, nihilominus crudelissimè trucidatur. Vnus tantum monachorum, postquam scribis regiis se miscuisset, orat eos, obsecratque, ut benignè opem ferant. qui miserti, pallium homini circumjiciunt, pileumque imponunt capiti: tum ad mensam suam adhibent, ac, porrecto atramento, chartâ, calamo, se componere in scribentis habitum jubent. Vix confederat, calamumque in manum sumpserat, cum ingressus militum tribunus illic quærit profugum; cui Casparus Brochmannus, regis tunc procancellarius, *Monachos*, inquit, *ignoramus: sed, si scribam tibi poscis, aliquem eorum cape, quos ad mensam assidentes conspicias*. Hoc responso, cum abiret, nec ulterius quicquam quæreret, ille sevasit. Nempe isthoc fœdæ adedè laniæ unum deerat; ut in fonti eam sanguine sacri ordinis terminaret: ne non ille, interfectis post episcopos etiam abbate & monachis, de immanitate ejus pariter conquereretur. Ita subjugatâ Sueciâ, cum in Daniam rediisset, ad affinem, Carolum V, sumptâ veste peregrinâ, est profectus; petiitque, ut deinceps feudum Holsati à se acciperent. à quo perbenignè exceptus, cum non difficulter item postulata impetrasset, festinatò domum rediit. Inter hæc Gustavus ille, de quo paullo ante dixi, è primariâ Sueciæ nobilitate adolescens, quem captivum Christianus secum abduxerat, & Bannero consanguineo dederat custodiendum, tempore quo è Daniâ ad Albim flumen agi boves consuevere, ipse quoque, vili veste se amiciens, tanquam boum agitator, clandestinè Lubecam venit: ac, senatui se apertens, cui tunc contentio cum Christiano magna erat, de urbis suæ privilegiis, comæatum, & auxilium, quo reduci in Sueciam posset, dari sibi postulavit. Neque ille recusabat; sed, retentâ vili veste, quâ

advenerat, novam induens, navem addit, quæ in Sueciam reportaret. Vbi cum ignotus diu, & labore mercenario victum quærens, oberrasset, tandem ad Dalecarlos ivit, inter Suecos fortitudine excellentes: & initio cum paucorum amicitiam comparasset, mox in gratiam cæterorum ita se insinuavit, ut ad arma universos concitaret. inde, aliis totâ Sueciâ concurrentibus, justus jam exercitus erat. Cujus dux renuntiatus, statim omnes sacramento sibi obstringit, & in regios impetum facit; quos obruncat, aut expellit: & proregem inter istos Theodorum, insolentiâ, avaritiâ, ac libidine, supra omnes odiosum. Igitur, deficiente totâ Sueciâ, profugus inde Theodorus Christiano rem renuntiat. Qui, tam etsi periniquè hanc rebellionem ferret; & in Suecos expeditionem novam cogitaret, tamen, ob Christinæ matris suæ obitum, cujus tunc curandum ipsi funus erat, differre in sequentem annum est coactus. Erat ea filia Ernesti Saxonis, Electoris; & Joanni, hujus Christiani patri, ut in rebus Christiani I retuli, nupta fuit anno C I C C C C L X X V I I I, annos decem ac septem nata; exactisque in conjugio annis quinque & triginta, in viduitate octo, obiit sexagenaria: foemina ut multis dotibus, quæ fastigium hoc decerent, exornata, sic in primis pietate. Tumulata est Othoniæ, in qua urbe vitæ sedem vidua ceperat, in cœnobio Franciscano, ad mariti regis latus. Id cœnobium opere, & ornamentis, multò illustrius reddiderat: ac virginibus duo struxerat, S. Claræ dedicata; unum Hafniæ, & Othoniæ item alterum. Dum exequias matri parat, comprehendi Theodorum, è Suecia ejectum, ac servari arctè jubet; inde quæstioni subjicit: tum, flagitia multa fassum, & ingentia, iterum custodiæ mandat; mox supplicio, quod meruerat, affecturus. Itaque, curato funere ad X X I V diem Ianuarii, rege peregrè profecto, & Sigbritta, cujus sola commendatione creverat, item absentiam simulante, ad supplicium producit, collo in laqueum inserto. cumque in forum pervenisset, ad patibulum, sed non ipsi constitutum, ducebatur. Quod cum licitor, eum reste

injecto trahens, paullum per appostas  
scalas ascendisset; ad captivum se con-  
vertens, per ludibrium, *Satis*, inquit, *in itinere hoc profecimus: aliò progrediendum est.* Tum descendens, versus curiam eum ducit, ubi ignis ingens erat. In hunc illum, scalis illigatum, injicit. aderat præco, qui pronuntiabat causam: &, flagitia eum tanta, ac tam multa, commisisse memorabat, ut pro meritis nulla poena satis esset. Erat Theodorus iste gente Westphalus, arte tonsor; quâ cum Romæ adolescens aliquamdiu ægrè vitam tolerasset, mox in patriam est reversus. inde in Daniam profectus, cum Sigbrittæ per Hermannum, ejus fratrem, innotuisset, regi ab eâ commendatus, tantâ statim apud eum gratiâ fuit, ut, prælatus omnibus familiaribus, ad honores quàm amplissimos paullo post eveheretur. In Italiam, quia linguam illic tonsor addidicerat, ad pontificem ablegatus, mox Lundensis archiepiscopus, atque regni Daniæ primas, constituitur. Inde, subjugatâ Sueciâ, & Scaresensi quoque episcopo, uti supra à me dictum, inter cæteros interfecto, ejus item episcopatum impetravit. denique Sueciæ etiam prorex, dignitate nimium protervè usus, semet ipse, & Danorum in id regnum potestatem, nunquam post recuperatam, pessum dedit. Omnibus illustre exemplum, quàm incertæ res humanæ; nec potentiam, quamvis summam, unquam diuturnam esse, ni virtute, ac prudentiâ, maximaque moderatiōe animi, temperetur; atque sic exerceatur, ut in se se exerceri quisque velit. Sed plerunque usu venit; ut qui, loco obscuro nati, ad honores evehuntur, non tam per virtutem suam, quàm fortunæ, quæ illudere vult interdum, beneficium, ii mox lascivientes, nec felicitate suâ moderatè sat utentes, cunctis graves, sibi noxii, subitò dejiciantur: planè sicut pilæ solent: quæ, vi alienâ impulsæ, ubi altè ascenderunt, sese in fastigio illo sustinere nequeunt, statim decidunt. Christianus, mense Augusto magnum adducens equitatum, in Holsatiam proficiscitur; ac Flensburgum cum venisset, Fredericum, ejus ditionis ducem, patrum suum, & nobilitatem omnem, Stenderboum adesse jubet, quo cum

cum sine ullâ morâ cum exiguo comitatu  
 Fridericus advenisset, est miratus, quod  
 amicum ad colloquium rex armatus ac-  
 cessisset. Post salutem utrinque dictam,  
 inquit statim Christianus; *esse quædam, quæ  
 cum patruo, ac nobilitate item universâ, omni-  
 nò agat: eaque non tantùm ad regni, sed ducatu-  
 tum quoque commoda pertinere.* ad quæ  
 postquam Fredericus respondisset, nec no-  
 bilitatem totam convenisse, neque solitam eò lo-  
 ci convenire; ideoque rem momenti alicujus  
 constituere illic velle, sine absentium consensu,  
 minimè oportunum fore: seque à nepote rege  
 postulare, ut hanc libertatem suam boni consu-  
 lat: regerebat Christianus; si is locus displiceret,  
 Levensovium capi posse. atque ita, Fri-  
 derico approbante, à colloquio discessere.  
 Fridericus tunc Gottorpii nobilitatem ad  
 convivium invitaverat; ubi cum inter fer-  
 monem rem hanc omnem retulisset, pa-  
 riter mirati omnes, quod armatus ad col-  
 loquium ducis patrui Christianus adve-  
 nisset, ipsi etiam Chilonem manu armatâ  
 convenire, atque inde Levensovium du-  
 cem suum comitari, decrevere. Porro, ut  
 cognoscere possent, an eodem quoque  
 Dani in armis conventuri essent, nocte  
 insequente mittunt, qui rem omnem ex-  
 ploraret. Ac, renuntiante eo, itidem ar-  
 matos fore, ipsi etiam arma sua attulere.  
 Fridericus se Gottorpii continebat; fi-  
 liumque Christianum, qui obiret vicem  
 suam, ablegabat; Ioannem Rantzovium,  
 si absentiam fortè rex iniquius ferret, re-  
 spondere pro se jubet: *quia armatus Sten-  
 derboi ad colloquium accessisset, ac se eo factò  
 magis hostem esse, quàm nepotem, aut amicum,  
 ostendisset, non putasse propius sibi accedendum.*  
 quod si insuper quædam ditionibus gra-  
 via, nec ferenda, postularet; nihil se ad ista  
 respondere posse, affirmaret: *sed ad principem  
 relaturum, qui idcirco filium suum huc misisset.*  
 Cumque jam ad Levensovium, qui est ri-  
 vus quidam exiguus, limes agri Slesvicen-  
 sis, & Holsatiæ, regem appropinquare  
 Holsati, qui priores huc convenerant, ac-  
 cepissent; illicò conscensis equis, obviam  
 eunt. Rex, cum propius accessisset, pa-  
 truelem Christianum conspicatus, ocyus  
 adit; &, porrectâ prius dexterâ mox e-  
 ductum in eundem gladium vibrans, blan-  
 do vultu: *etiamne, inquit, ferro vos arma-*

*ti advenistis? ac, cum dato tubæ signo e-*  
*quites jam convenissent, progressus in*  
 medium Rantzovius, principem suum  
 Fridericum excusabat, quod non, ut sta-  
 tutum erat, ipse quoque advenisset. Rex,  
 qui facile animadverteret, ita convenif-  
 se Holsatos, ut, si quicquam ab illis gra-  
 vius postularet, planè negaturi essent; per  
 Rantzovium, quem, virtute & pruden-  
 tiâ eminentem, multum etiam valere au-  
 thoritate apud eos satis exploratum habe-  
 bat, ipsos hunc in modum alloquitur: *nul-*  
*lo modo sibi dubium, quin Holsatis univer-*  
*sis innotuerit, quas ob causas bellum inferre*  
*Lubecensibus cogeretur: itaque orare enixè, ut*  
*consilio, & auxilio præsto sibi esse velint.*  
*Quod si faciant, sedulo id curaturum, ne*  
*deinceps opere eos poenitere sua possit.* Ad  
 quæ, postquam de re paullum inter se de-  
 liberassent, per Rantzovium responde-  
 runt. *Nec inducere animum posse, nec teneri,*  
*ut hostes regni suos facerent: cum potissimum*  
*nec auctores laceffendi existissent, nec con-*  
*silia contulissent.* Ad hæc, si in Lubecenses  
 arma sumant, regi nullo modo utile, sibi per-  
 damnosum fore. itaque rogatum cupere, ne,  
 quod justè recusarent, denegari agrè ferat.  
 Sic conventus planè ut Stenderboënsis,  
 frustra fuit; & Gottorpium rex discessit,  
 illic noctem habiturus: Chilonem Hol-  
 sati, unde venerant, rediere. Rex, Got-  
 torpio discedens die postero, Redens-  
 burgum se recipere; quo consiliarios pri-  
 dem Ioachimi, Marchionis Brandebur-  
 gici, evocaverat: ut consilio eorum,  
 operâque, Stenderboi in conventu, u-  
 teretur. Qui Flensburgum cum venif-  
 sent, ibi loci substitere; expectantes,  
 quid rex vellet. Hos cum ad se Redens-  
 burgum evocasset, mox eodem Caroli  
 Quinti Imperatoris oratores advenere.  
 Quibus cum conventus utriusque acta in-  
 dicasset, iterum à Friderico patruo per-  
 amanter petit, *ut Flembudam quosdam è*  
*consiliariis, die in literis constituto, mitte-*  
*re velit; se eodem aliquos missurum esse.* &  
 utrinque ablegati advenere. Verum,  
 quia graviora, quæ tractare iussi erant,  
 viderentur, in id omnes consensere;  
*ut Borsholmium, clarum Holsatiæ monaste-*  
*rium, ipsi principes convenirent, & exter-*  
*nos illuc ad se convocarent; quorum arbitrio,*

quicquid inter partes esset controversia, seu antiqua, sive nova, tolleretur. Quædam verò capita erant; & in illis primum istud. Quod à Carolo Imperatore, affine suo, Christianus singulari indulgentiâ privilegium accepisset, quod ducatum Holsatia, aliosque huic conjunctos, ut ipse Fridericus, ac majores quoque ejus, ab episcopo Lubecensi instar beneficii petere consuevisent, ita eosdem in futurum à Christiano, regibusque successoribus, ipse, & heredes ejus, deinceps petere juberentur. Quæ quantumvis hunc in modum se haberent, tamen, uti controversia qualiscunque, inter ipsum patruumque qualicunque causâ orta, per sequestratos, neutri partium obnoxios, aut suspectos, tolleretur, promptum beneficio renuntiare; eâ lege, ut contrarias Fridericus literas petat, impetretque, quibus Carolus privilegium, pridem indultum, revocaret: sequenec laturum agrè, nec prohibitorium esse. Alterum, si non componi bellum Lubecense posset, integrum Friderico fore, pacem certam constituere, qualis ea sub Ioanne patre erat: sequenec omnino istud velle, ne suorum quisquam illi quicquam detrimenti ferat: neve irruptionem ullam, impetumve in ipsius terram faciat. idque sese ita cupere, fidem suam istis literis obligare. Tertium, quia Fridericus conqueratur, partem sibi regis filio, in Norvegiâ, tanquam regno hereditario, suam tribuendam esse; tum & de tutelâ patris, quomodo eam ille gesserit, cognoscendum; ac deberi centum aureorum millia, in ducatus distributione ipsi attributa; denique, velut juniori regis filio, etiam sibi jure aliquid donandum; ut in Daniâ, more dudum usitato, consuevisset; ad hæc sese respondere: Ut Ioannes, parens suus, antea cum Friderico fratre egisset, & in certos arbitros compromisisset, se paratum ad præstandum, quicquid juri, legibusque, consentaneum censeretur. quin & per regnorum Daniæ, ac Norvegiæ, senatores natu maximos cuncta archivorum scrinia diligenter excussurum; quæque illic in rem istam documenta inveniantur, ante undecimum proximi Novembris diem exhibiturum: quæque ex his debere ipse patruo suo cognoscatur, sine morâ, aut exceptione ullâ, præstaturum: & negotii universi arbitros fore, Ioachimum Brandeburgicum, electorem; Henricum, ac Albertum, fratres, duces Megapolitanos; Boguslaum, item ducem, Suerinensem; & Henricum, præsulem Ratzeburgensem: atque hos ad diem ante proximam anni insequentis Pentecosten decimumquartum Segebergam conventuros, ac sententiam de re totâ juxta æquitatis normam prolaturus: & id operam daturus, ut concordia inter partes facta teçta statuatur. aut, benignè si componi haud quaquam possit, jure tunc acturos esse. Si quis verò è principibus memoratis causâ fonticâ à negotio pertractando excludatur, & adesse ipse nequeat, hunc consiliarium quendam, plenâ potestate instructum, suo nomine legaturum. ac, pronuntiatum quicquid ab his fuerit, id utrinque ratum fore. porro, ut quærela patris hæc concesserit, ita integrum sibi velle, si quid etiam ipse habeat, quod ab illo jure postulare queat, id ut pariter disceptandum arbitris iisdem tradat: qui ex æquo, atque bono, iidem de re pronuntient. cum hæc cautione tamen, ut, quodcumque demum fuerit, patruo exponat prius, idque ante proximum natalem Christi. quicquid verò iudices iidem senserint, ratum fore. quod selibrarum Lubecensium undecim millia, quæ pro patre Fridericus patruus exposuisset, attineret, ea se mercatu proximo Chilonensi, sine longiore morâ, ac cum gratiarum quoque actione, redditurum. Porro amplius constitutum, ne ducatum seu Slesvici, sive Holsatiæ, incolentes, ad alterius loci forum, quàm ducatus illi proprium, in quo ipsi habitarent, traherentur: & utrinque in suâ quisque ditione separatam jurisdictionem haberent: quodque alteruter statuisset, alter quoque exsequeretur. Sed, quod ad nobilitatem, & antisites, qui in ditione utraq; etiam tum indistincti, in eorum controversiis jus uterque simul dicerent: quicquid absfuturus esset, is præfectos aut consiliarios suos, loci incolas, delegaret. ac quod simul censuissent, illud ratum haberetur: ita tamen, ut ad Casarem provocatio, more dudum usitato, in Holsatiâ permittatur. Deinde, uti lites omnes dirimantur, in Holsatiâ, juxta vetera statuta, ex Saxonici juris codice, Speculo Saxonie dicto: in ducatu Slesvicensi, qui annexus regno Daniæ, juxta leges Valdemari, ejus nominis II, pro receptâ consuetudine. Porro, etiam via publica, quæ Tritoum, Segebergam, atque Oldeslouloum ducunt, uti olim, sic deinceps, mercatoribus, ac quibusvis iter illac facientibus, libera exhibeantur: seduloque detur opera, ne qui eas grassatores insidere, neve infestare ausint, usque in diem Segebergæ constitutum. Vbi si amici ipsi inter sese minus convenire possint, tum & principes, quorum arbitrio reliqua omnia permisisent, quid de eâ re sit juris, cognituros, ac sententiam dicturos. Item publicano fieret, Oldesloï à Chri-



*Christiano constituto. Denique, ut Christianus* sum castra petit; militesque adhortatur; *Friderico remittebat privilegium, quod à Carolo* fortes essent, Vandalosque sæpe à majoribus suis *Imperatore de Holsatiâ accepisset, ita rursus Fri-* profligatos meminissent: & istius rei signum *dericus largiretur Christiano, quicquid sibi pro* satis manifestum esse, quod insignia eorundem *auxiliis, bello Suecico submissis, deberetur.* regni insignibus interspersa appaerent: eaque *Tum, sancitâ veterum injuriarum oblivio-* in illis ipsis, sub quibus mererent, signis oculis *ne, mutuam porrò amicitiam, quàm san-* representata adspicere possent. neque esse, quare *ctiffimè in futurum exercendam, alter* navium, quas in littore conspicerentur, multi- *alteri pro se, filiisque suis, & hæredi-* tudine terreantur: quæ ad mercaturam potius, *bis, promiserunt: literisque, in rem eam* quàm militiam, aptæ essent. olim quidem ma- *consignatis, fidem, quam inter se pacti,* gnâ gentis claritatem exstitisse; nunc distractæ *confirmarunt. Inter ista Lubecenses, &* in diversas orbis Christiani partes vix reliquias, *Vandalicæ civitates, quæ fortunæ Chri-* nullo modo formidandas, superesse. itaque pu- *stiani, ob redactum in potestatem regnum* gnarent strenuè, cum hominibus, qui commercia *Sueciæ, invidebant, classem in eum na-* exercere melius, quàm arma, scirent: ac victo- *vium triginta parant. Quæ, ingressa ma-* riam minimè incertam fore, ad quæ illis ac- *re Balticum, cum ad Hafniam constitif-* clamantibus; se pro rege, patriæque, sangui- *set, quasi illic militem expositura, postero* nem profundere certos; lætus mox in urbem *die Helsingoram se recepit: ac, vastato* redit: utque occurrere hosti posset, mili- *eo oppido, inde Hafniam reflexit. Chri-* tem, ac commeatum, regno universo im- *stianus tunc Callundeburgi erat; ubi ac-* perat. Maximè autem Helsingoræ Van- *cepto rei nuntio, sine morâ Hafniam re-* dali infesti erant; quod Ioanne pridem re- *dit: & per viam insulæ totius incolas o-* ge, cum id oppidum obsiderent, nullâ re *cyûs capere arma jubet. Qui cum instar* præclare gestâ, abire ab obsidione coacti *decem millia convenissent, ad Solbergum,* essent. ideoque insultantibus oppidanis, *proximum ab urbe pagum, castra ponunt.* etiam minati erant, paulò post se rever- *Quorum Iustrandorum causâ postquam* suos: ac ludibrium igne, atque ferro, ul- *urbe exiisset, mox Sigbritta, unâ ancillâ* turos. quod cum nunc denuntiassent; & *comitata, pedes sequitur. Vixque ad scho-* in proxima quæque loca oppidani, rebus *lasticorum, quem appellant, lacum vene-* suis, ac conjugibus, liberisque, tempesti- *rat, cum in viâ affecuti duo milites, benè* vè exportatis, diffugissent, mox re ipsâ *poti, qui ex urbe castra sua repetebant,* præstiterunt; ac, desertum ab habitanti- *eam invadunt: & diffugiente ancillâ, post* bus metu oppidum incendentes, nullo ul- *convitia etiam vim intentantes, jaciunt in* tra damno dato, cum in armis convenisse *adjacentem, quem jam antè dixi, lacum.* Sialandos intelligerent, domum classem *Quæ dum fiunt, rex revertens, ac pro-* reduxere. Christianus, iterum turbante *gressus extra castra, cum Sigbrittam ita* Sueciâ, ut reprimeret, convenire Senato- *habitam accepisset, equo concitato ac-* res ad Callundeburgum jubet. quò cum *currit; extrahi que eam jubet, & in rhedâ* cæteri advenissent, Cimbri, adversante *collocatam, domum vehi. Sed, periculo* vento, jam propinqui Sialandiæ, repellun- *huic erepta, aliud, non multò levius, sta-* tur, & comitiis prohibentur. quo com- *tim incidit. Etenim, ad portam urbis cum* perto, mutat locum; & Arhusiam, Cim- *venisset, cohors quædam, quam auxilio* briæ urbem, ne fortasse denuò per venti *Roschildenses regi miserant, ante eam ex-* injuriam arcerentur, eos vocat, ad xxv *cubabat; & in rhedâ venientem conspi-* diem Januarii. sed, cum rumor spargere- *cata, tela multa jaciebat: per quæ vix in* tur, cum exercitu, è Germaniâ evocato, *urbem evasit. Rex interea illos milites,* adventurum, atque belli instrumentum u- *qui in aquam paullo ante eam abjecerant,* niversum præmisisse; metuentes, ne, quod *inquirebat; & inventos, arcu ferreo, quem* Suecis accidisset, sibi quoque eveniret, ad *tenebat manu, stratos comprehendi, at-* Viburgum coeuntes, & consilia conferen- *que in urbem ad custodiam duci jubet:* tes, arma sua opponenda censuerunt. Rex, *inde, capite etiam plecti. Post hæc rur-* ut classem Vandalorum, de quâ dixi, pro-

pulsaret, Sialandos concitaverat; qui, ad decem circiter millia congregati, castra sua ad Solbergum collocaverant: ad hæc quatuor peditum externorum signa Hafniæ erant, ad præsidium ejus urbis, sub Georgio Hofmanno: equitum verò aliquot turmæ, in Fioniâ, sub comitibus Hojano & Teckelenburgico. Illæ copiametum ipsis faciebant; quanquam etiam, ex quo tempore istam in Sueciâ detestandam lanienam exercuerat, altè admodum ea res in animos Daniæ senatorum penetraverat, ut deinceps, quoties Hafniam vocarentur, non nisi cum summo metu, atque adeo universi, convenirent. itaque, ut se formidine, in quâ semper versabantur, semel tandem liberarent, arma omnes, ad securitatem suam asserendam, capienda statuerunt. atque primò quidem literas, inde fecialem mittunt; qui obsequium & renuntiaret illi, & defectionis causas, satis graves, atque justas, ut censebant, coram exponeret. jam tum Vethlam Cimbriæ oppidum, rex advenerat; & Arhusiam, ad conventum, quem indixerat, cogitabat: ubi eum Magnus Muncius, Cimbriæ supremus judex accedebat. qui, ad mensam invitatus, vir festivus, & familiaris etiam, ut exhilararet ipsum, vario sermone tempus inter discumbendum trahit: multa de venationis, ac venaticorum canum, laude fatus. inde surgit, & se clanculum subducit: ac relinquit in fenestrâ literas illas, quibus Cimbri se discedere ab obsequio testabantur. has inventas, & oblatas, cum legisset Christianus, consternatus, accersiri Muncium jubet: sed is, quia clam abierat, reperiri nusquam potuit. Itaque, cum copiis suis, nec indigenis, neque exteris, satis fideret, refert pedem: & Coldingam, urbem Holsatiæ Cimbriæque limitaneam, sese confert. Ac Olaum Roscrantsum; Magnum Bildium, arcis Coldingensis præsidem; & Reinaldum Heiderstorpium, summum peditatus ducem; regni sui senatores, qui tunc aderant, ad se vocat: singulosque percunctatur, quid in tantâ perturbatione rerum faciendum arbitrentur? atque Heiderstorpium quidem, qui sententiam primo loco rogabatur, *advocandas è Germaniâ copias auxiliares ab affine Carolo V Imperatore, ac prin-*

*cipibus consanguineis, affirmabat: quas adeptus, facile in potestatem Cimbros redacturus esset.* Hinc interrogatus Bildius, *duos ordinis senatorii ablegandos ad primates Cimbricæ suadet; qui sponderent, regem jus non recusare: ac paratum sese sistere, dum ab armis discedatur; ac, concessio comite, partium securitati consulatur.* Roscrantsum verò, sic existimabat; *cum regina, liberique item regii, adeò longè separati, in discrimine manifesto versarentur, horum maximè saluti ipsi providendum esse.* Placuitque hæc sententia Christiano; cui tamen præstitisset, Bildii consilio uti: ac, si rejecissent Cimbri, tum id optimum factu erat, quod suadebat Heiderstorpium, ut auxilia è Germaniâ, tam obnoxia, vocarentur. nam uxori, liberisque, in munito adeò loco, apud cives tam devotos, ut mox, in ipsius gratiam, diuturnam, asperamque, obsidionem tolerarent, nil periculi planè erat: tum navigio, quandocunque usus foret, ac quocunque videretur, evehi poterant. nunc, qui pridem pellicem uxori suæ præfererat, dum uxorem, liberosque, regno chariores habet; & maritum, atque patrem, potius quàm regem, agit; cum uxorem, tum hæredem regni filium, in quo spes recuperandi omnis sita, etiam paullò post amittit. Verùm deus, qui evertere tantam ejus magnitudinem, ac potentiam, apud se constituisset, consilia ejus, uti ferè in humanis rebus solet, pervertebat. Itaque, post hoc colloquium, cum sententiam, uti dixi, Roscrantsum collaudasset, rex in Sialandiam properat, ad uxorem, liberosque: ac, transmissio mari Baltico, cum Ringstadium advenisset, ubi tunc mercatus erat, convocatâ universâ multitudine, flebili oratione, ut ingenium tyrannorum est, asperum in rebus lætis, & abjectum in adversis, de Cimbriorum motu queritur; adeoque Sialandos hæc querelâ suâ flectit, ut obsequium illi omnes, atque fidem, novo juramento obstringerent: quin & sanguinem pro salute ejus fundere se paratos testarentur. Hinc cum Hafniam, ubi uxor, liberique; tunc agebant, discessisset, urbem ingressus, tres ex ordine senatorio hinc invenit; Lagonem, episcopum Roschildensem; Henricum, abbatem Soranum; & Eschillum, antistitem Anderschoviensem. itaque eos ad

C13 13  
XXIII.

ad se vocat; & , quid isto rerum statu sibi faciendum censeant, sciscitatur: adeo quoque infra regiam majestatem se demittit, ut togatus ipse sæpè, de negotio eos suo consulturus, multo manè ex arce in urbem, ubi variis quisque locis habitabant, eques iret. sed hi, cum consilia regis universa explorassent, clam ex urbe discedentes, ocyus Callundeburgum se recipiunt: hinc in Cimbriam trajiciunt, ac se conjuratis jungunt. ea res spem regis cæteram ita planè conturbavit, ut tumultus coercendi curam, animumque, abjiceret; ac de fugâ capeffendâ cogitaret. Et consilium incitabat etiam metus, ne, quod jam rumore vulgi ferebatur, Cimbri, atque Lubecenses, inter sese foederati, classe instructâ prohibere conarentur, ne evadere quoquam posset. itaque, ut anteverteret, multo magis festinandum existimavit: & viginti è classe regni, quæ in portu Hafnienfi semper in quemcunque usum præsto erat, naves sumens, auro eas, & argento, regiâque suppellectile qualicunque, implere jubet. quin & regni aperto ærario sanctiore, quod Callundeburgi erat, non recludi nisi summâ in necessitate solitum, quicquid ibi jam à multis annis asservatum, aufert. Denique nullum fugæ suæ adminiculum prætermittit; ita ut pinnacula quoque templi arcis, ædiumque totâ urbe grandiorum, quia inaurata essent, spoliaret. Tum, ut tantò magis se ulcisceretur, etiam archiva regni populatur, privilegiaque abducit. inde, comportatis omnibus, & Sigbrittam, maximam malorum causam, quæ in arcem, ut à civium se injuriâ tueretur, clam confugerat, cistæ includit, & in regiam suam navem inferri mandat; quam & ipse, cum uxore, liberisque, mox conscendit: postquam arcem, atque urbem, fidei Henrici Goiæ commisisset, & urbanum magistratum novo sibi juramento obstrinxisset: brevi admodum, ac supremum ad trimestre, cum auxiliis reversurum se pollicitus. Relinquebat & præsidium, præter equites, quorum incerta multitudo, peditum quoque signa quatuor, sub Georgio Hofmanno; qui vir gente Saxo erat, & militiæ per id tempus actæ clarus. Sanè admodum imprudenter Christianus; siquidem facilius, dum possi-

detur, armis regnum vindicatur, quàm repetitur amissum. nec necessitas fugæ erat, modò metus abfuisset: qui periculum, ubi nullum est, sibi fingit; & exiguum, in majorem modum auget. nam Norvegia, item Scania, Sialandia, & Fionia, ac Holsatia fidem in ipsum, & obsequium, retinebant: neque fortè, si mansisset, unquam exuturæ erant: sed desertæ, ipsæ etiam aliis se adjunxere. integra ubique illi civium studia, uti quoque rusticorum: aderatque militum manus, tum, si portus custodiret, facile ingressu erat insularum prohibere, Balti undique submotos: & in promptu justæ copiæ, ac instructæ bello naves, ad conatum reprimendum. sola Holsatia, quia Cimbriæ finitima, ad injuriam opportuna. nec auxilia laboranti peregrina defuissent: quæ quàm diu regnum suum retineret, atque illud quoquo modo vindicaret, quàm depulsus, promptiora habuisset. quando reges, principesque, ut cadentem sustinere, quàm erigere jam jacentem, est facilius, ita malunt, quod minore negotio possunt: sive utilitatis causâ, quod hîc reddi aliquando gratiam posse, & impensam, arbitrentur; sive famæ, cujus interesse putant, ne tentasse cognoscantur, quod efficere non potuerint: sive etiam, quod adversa, pari regum atque privatorum sorte, facilè miserationem, opem autem vix inveniant. Verùm sua ipse comoda turpi fugâ cuncta prodidit: quam instituit ad xx diem Aprilis. ostenditque etiam tum iram manifestam Deus; qui, ingenti tempestate fugientem persequutus, dissipatâ totâ classe, tres hebdomadas ita graviter afflixit, ut ad rerum penè omnium desperationem adigeret. tamen, cum in graviore, maximeque diuturnos, animi eum cruciatus reservaret, prius ejectum in Norvegiam, tandem Veriam, Zelandiæ urbem, appellere sivit. Regna amissa variè recuperare nisus fuit, sed eventu infelici: & octavo inde anno, cum jam classem, in Hollandiâ ab affine Carolo V impetratam, instruxisset, tempestate rursus in Norvegiam actus, dum Canuto Guldensternio, episcopo Othoniensi, anno proximè infecuto imprudenter se committit, qui, quod haud præstare posset, temerè pollicitus erat, in custodiam sem-

piternam primò Sunderburgum Alfiæ, inde Sialandiæ Callundeburgum, est abductus: ubi tandem diem obiit, ad xxv diem Ianuarii, anno humanæ salutis C10 10 LIX ætatis LXXVII. Et sic princeps longè maximus, viribusque, sanguine, & affinitate potentissimus, postquam miser tribus regnis suâ culpâ excidisset, vix decennio horum potens, per sex & triginta annos in exilio, aut custodiâ, vitâ cæterâ inter summos animi cruciatus actâ, mortem, quam optârat sæpè, ægrè tandem consecutus, animam diu infelicem exhalavit. In hoc ipso manum quoque punientis Dei sentiens; qui, quam bonis vitam longam ad prosperitatem quandam temporaneam dat propitius, malis etiam conservat irritatus ad supplicium. Procul dubio gravem in se iram Dei provocaverat. Adolecens variâ libidine famam, ac flagitiis, quæ hanc ferè comitantur, corruppebat; ita ut quandoque pater indignatus, advocatum in conclave, & verbis acerbis objurgatum, etiam verberibus cæderet: donec, genibus advolutus, ac promittens culpæ emendationem, veniam supplex precaretur. ac, cum neque sic desisteret; & identidem in flagitia usitata revolutus, nihil monitis, nihil jurgiis, aut verberibus, mutaretur; tandem, in majorem modum excandescens, neque ultrâ iræ potens, execratus, diris eum devoveret. Nil parentes evitare studio majore debent, quam ne, vitiis liberorum supra modum irritati, diras iis imprecantur: quæ, si justæ, vires quoque suas habent, & ærumnis in devotos importandis multum valent. Ita certè Christianus, primò nequam, postea infelix fuit. qui, vir factus, postquam matrimonii gloriam pellicatu obscurasset, regna quoque per superbiam, & perfidiam, ac crudelitatem, amisit. quanquam sanè, quid in Danos, folio eum depellentes, adeò dignum reprehensione admiserit, si excipias supplicium, de Torberno Oxio sumptum, nimis rigidum, ac sævitix affine; tum superbiam, & contemptu senatorum, queis Sigbrittam anteferret, foeminam valdè sceleratam, quæque gratiam, malis artibus occupatam, sola totam possidebat, nil Historia repræsentat. nec id causæ satis erat, quare regnis pelleretur. & majore

metu suo, quàm periculo, angebantur; cum jam poenam Sueciæ tam crudeliter habitæ, quæ se denuò, jugo excusso, in libertatem vindicaverat, persentiret: idque eum, ad clementius gubernandam deinceps Daniam, satis coercere posset. neque, qui momenta rerum rectè censeat, temerè sanè evenisse existimabit, quod, occultâ quâdam Dei voluntate, cum obiret, mortuo pridem Christiano, patruæ, quasi liber, etiamsi in custodiâ, ampliori dignitate toto regno nullum agnosceret; Daniaque, velut tacito quodam opprobrio, regem id temporis coronatum, quàm captivum, non haberet. Verùm Deus, omnium regnorum arbiter, eum, qui se Sueciâ indignum nuper, ob perfidiam, ac sævitiam, Daniâ autem ob superbiam, ipse ostenderat, omnibus dejectum voluit: & qui animum Danis faceret, metum injecit. quo jam dudum inquieti, id quod viri fortes solent, semel mori, quàm timere semper mortem, fatius existimantes, rem, periculosè ausi, felicissimè perfecerunt. neque Saxones avunculi, nec sororius Brandeburgicus, neque uxoris item frater, Imperator, Carolus V, unquam eum restituere potuerunt: neque reges foederati, nisi per legatos suos, idque blandè potius culpam exulantis deprecando, quàm vim aliquam comminando, tentavere. ac Germaniæ quidem principes, cum, coacto magno exercitu, jam ad Albim pervenisissent, ipse turpiter destituit: Carolum verò, fortuna. qui, potentiâ cæteros omnes antecellens, postquam semel infeliciter rem tentasset, eo capto, & Ioanne quoque filio, quem in spem paterni regni aliquando repetendi educabat, eodem tempore vitâ functo; adeò conandi aliquid deinceps voluntatem abjecit, ut Philippo item filio testamento interdiceret, ne negotium regi Daniæ, ob injurias Christiano, amitæ Isabellæ viro, olim illatas, ullum omninò exhiberet. Regnum se cruentum admodum habiturum, statim ipsâ in natiuitate ostendit; cum, porrectâ alterâ manu, alteram contractam in pugillum efferret; obstetrixque, postquam eam explicasset, sanguine plenam inveniret. quæ attonita, cum Ioanni patri factum retulisset, ipse quoque, nihil velans, prodigum hu-

mani sanguinis filium fore prædicavit. alterum item memoratur; quod, priusquam natus esset, dum eniteretur mater, intra uterum ejus flere audiretur: manifesto id portento, vitam ipsum peracerbam habiturum, & aliis facturum esse. Nec virtutes tamen planè nullas habuit; ac militiae clarus fuit, actæ vivo adhuc patre, contra Norvegos, & Sæcos: quos rebelles ad obsequium reduxit. tum de regno benè meritus, constituto Hafniæ emporio: adeoque, quàm nobilitati invisus, tam ac-

ceptus civibus, rusticisq̃ue, erat. Liberos ex Isabellâ Austriacâ, uxore suâ, quinque sustulit; primogenitum Ioannem, cujus memini; Philippum, & Maximilianum, in infantia interceptos; Hafniæq̃ue in coenobio Franciscano consepultos: tum Dorotheam quoque filiam, Ludovico Palatino Electori; & Christinam, primo matrimonio Francisco Sfortiæ, duci Mediolanensi; altero, duci Lotharingiæ, itidem Francisco dicto, elocatam.

F I N I S.



HISTORIA DE A. N. 1718. III.

...reprehensibilis iustitiam eras. Liberos ad 15  
...ez Hobella. Antistat. exere. sus. quibus XIII.  
...luntate; perungentium Iouam. exere.  
...acominu. Iupitum. & Maxima. in  
...intantia. inuenerunt. Et. iustitiam. in. cono-  
...diti. P. antistat. conspiciant. tum. Iouam.  
...distant. quatuor. Iouam. I. adu. Iouam. Iouam.  
...E. Iouam. &. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam.  
...Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam.  
...Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam.  
...Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam.  
...Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam. Iouam.

1718

